2

DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA

DE

AVDITV DIFFICILI

QVAM

CONSENSV ILLVSTRIS MEDICORVM ORDINIS

PRO

GRADV DOCTORIS

MEDICINAE AC CHIRVRGIAE

OBTINENDO

PVBLICE DEFENDET

DIE IX. MART. MDCCLXXXXIII

AVCTOR

IOHANNES FRIEDERICVS KRITTER

GOETTINGENSIS

GOETTINGAE

IN OFFICINA BARMEIERIANA.

1mo) Inſtrumenti in tubam immiſſio, cum ob meatus naſalis figuram et longitudinem variam, et orificii tubalis diuerſam prominentiam, mobilitatem, latitudinem, quae variam quoque tubuli curuaturam requirunt; tum ob ſternutationem, in eius introductione vix euitabilem, ſaepius difficillima erit, ceu plane impoſſibilis.

2do) Iniectio ſine effectu e tuba refluet, ſi non profunde ſatis in ipſam penetrauit cannula. Semper denique notante cl. Hagström *k*) metus adeſt, ne

3o) Materiam tubae inhaerentem altius in ipſam intrudat iniectio.

§. 34.

Minus difficultatis ſequens fluidi in tubas immittendi methodus habere videtur, a cl. Morgagno *l*) et Bussono *m*) propoſitus.

k) Samml. f. pr. Aerzte 14. B. 1. St. n. 2.
l) Epiſt. anat. 7. n. 14.
m) In Halleri diſp. chir. ſel. T. 2. n. 44. p. 235.

positus. Liquorem aptum ore excipit aeger, ac spiritum dein in oris cauum valide propellit. Quo facto fluidum, nec per os, nec nares, arcte antea clausa, erumpere valens, et aeris impetu in tubam impulsum, materiam, ipsae inhaerentem forsan loco mouebit atque eluet.

Quodsi memoratis hactenus auxiliis nil profectum sit, obstaculi profundius tubae inhaerentis suspicio oritur, in quo casu ab iniectione per processum mastoideum facta vnice aliquid exspectandum erit.

§. 35.

Vbi parietum tubae coalitu inflammatorio, membranae tubas inuestientis incrassatione, excrescentiis ex eadem enatis, eius cauum clausum est, stili in tubam immissio, saepius iterata, sola canali referando par esse videtur. Eiusmodi saltem medelam in surdo, post omnia incassum adhibita, feliciter instituit cl. Wathen *n*). Specillo enim extracto continuo se melius audire

n) l. c.

audire aeger professus est. Quod curationis genus, si ob difficultates memoratas locum non habeat, operatio a cl. RIOLANO *o*) proposita cum successu forsan institui posset. In defectu dicit "huius canaliculi per„vii, quidni conferret stylo tenuissimo per„tusa apophysis mastoidea cauernosa, quae „communionem habet cum concha"? Felici experimento hoc inuentum nuperrime confirmauit cl. LOEFFLER *p*). Viro grauissime audienti cum processum mastoideum perforasset liquidumque iniecisset cl. vir, sanguinis quidem sero commixti aliquid effluxit, fluidum vero iniectum in fauces non penetrauit. Auditus qui ad primam iniectionem statim euaserat melior, vulnere deligato iterum intercidit; emplastro remoto omnia percepit aeger. Vulnere dein sensim coeunte, auditus pariter fiebat hebetior, penitusque demum interiit; apertura prorsus clausa. Processu itaque denuo re-

 sera-

o) Animadv. in theat. BAUHIN. p. 423.

p) cf. ill. RICHTERI ch. B. 10. B. 4. St.

ſerato, apertura noua turundis aperta ſervata fuit, eiuſque labiis tandem cicatriſatis, auditu maxima fere ex parte reſtituto iterum gauiſus eſt aeger.

§. 36.

Tympani cauitatis imperuiatio, ſi membranarum caueam diſſepientium, excreſcentiarum e membrana ipſam inueſtiente aſſurgentium, ſequela eſt, nullo artis auxilio tollenda eſſe videtur. Vbi vero extrauaſatum aliquod, mucoſum, purulentum, etc., caueam opplet, huius eductione, iterum peruia reddi poterit.

Quando liquidius eſt extrauaſatum, ſub ſitu capitis inclinato ſponte interdum e tuba in os effluit, id quod in aegro cl. Valsalvae *q*) et ſurdis ſupra *r*) memoratis accidit.

Tenacior materiae ſtagnantis indoles iniectionem poſcit in tympani cauum, vel per

q) Vid. Morgagni epiſt. anat. 7. n. 6.

r) cf. §. 16. n. 3.

per tubam EUSTACHII, ceu cellulas mastoideas, ceu meatum auditorium myringemque perforatam, administrandam. Prior iniectio minus hic apta videtur, cum cellulis mastoideis simul obstructis, extrauasato ex his quoque educendo non sufficiat, monente cl. HAGSTRÖM *s*). Cellularum enim, in tympanum sese aperientium, orificia altius sita sunt, quam tubae apertura interna. Hinc fluidum, priusquam cellulas intrauerit, per tubae orificium, quod fundo caueae proprius est, refluet.

§. 37.

Euitatur hoc incommodum, si per cellulas processus mastoidei perforatas in tympanum immittitur liquor.

Encheiresis huius operationis sequens est.

Cute in media processus mastoidei parte *t*) vsque ad os dissecta, ossis superficies

s) l. c.

t) Haemorrhagiae molestae, ex arteria auriculari posteriore, euitandae gratia, cl. HAG-

ſuperficies parvo circuitu denudatur. Trepano dein perforatorio, conica corona inſtructo u), vel ſimili inſtrumento, apophyſis media ſui parte x) perforatur, donec vnam alteramue cellulam aperiat inſtrumentum y).

Quo

HAGSTRÖM (l. c.) eutem magis verſus apophyſeos partem exteriorem ac poſteriorem diſcindere ſuadet.

u) Conica inſtrumenti perforantis figura, monente ill. RICHTERO (chir. Bibl. 10. B. 4. St.), impedit, quo minus iuſto altius in oſſis ſubſtantiam illabetur inſtrumentum, quod ſibi fere, in aegro memorato (cf. §. 35.) accidiſſe fatetur cl. LÖFFLER.

x) Apophyſeos pars media, tres circa quadrantes digiti a proceſſus maſtoidei apice diſtans, ideo perforationi aptiſſima eſt, quod hoc loco cellularum ſuperficialium maxima, quaeque directione horizontali in tympanum continuatur, oſſi ſubiacet, notante cl. MURRAY (l. c.).

y) Ne iuſto altius terebretur, ſpecillo interdum inquirendum eſt, num ad cellulas iam peruentum ſit.

Quo tunc educto, ſyringis ope fluidum in aperturam recentem iniicitur, e tympano per tubam Euſtachii vna cum elutis ſordibus ſtatim plerumque in fauces effluens. Quodſi iterata iniectione opus eſt, turundis aliquamdiu apertum ſeruari debet vulnus.

Felici cum ſucceſſu in ſurditate, a puris in tympano accumulatione orta, hoc iniectionis genus adhibuit cl. IASSERVS z), et poſt eum ſimili cum euentu in quatuor aegris cl. FIELITZ a).

Multis interim operationis huius vtilitas, cum ob pericula haud leuia quibuſcum iuncta ſit, tum ob eius euentum ſemper dubium, admodum ſuſpecta eſſe videbatur. Pericula in operationis adminiſtratione obvia praecipua ſunt:

1) Partium auris internarum laeſiones. Abſtinendum itaque eſt ab operatione in

 ſub-

z) Vid. ill. SCHMUCKER verm. ch. Schr. 3. B. p. 113. ſqq.

a) Vid. ill. RICHTER chir. Bibl. 8. B. 3. St. 9. B. pag. 555. 10. B. 4. St.

ſubiectis iunioribus, vel quibus apophyſis parum prominet. In his enim cum vel plane deficiant cellulae, vel nondum efformatae ſint, ſi aditum ad tympanum aperire velles, neceſſe foret altius perforare oſſis ſubſtantiam, non ſine laeſionis interiorum organi metu *b*).

2) Symptomata irritationis, quae liquidum immiſſum, niſi ſtatim ex aure refluit, ac aliquamdiu in tympano retinetur, quandoque excitat. Surdo cl. HAGSTRÖM *c*) liquor in cellulas iniectus non modo in fauces non penetrabat, ſed cephalalgia quoque grauis, aurium tinnitus, ac viſus abolitio, ſub quauis iniectione contigit. Loco denique perforationis minus caute electo, facillime

3) Vtraque oſſis lamella perforatur, cerebrique accidit laeſio, quale quid in infelici operatione cl. CÖLPINI accidiſſe videtur

b) Samml. für pr. Ä. 14. B. 11. St. n. 2. 3.
c) Ibid.

tur *d*). — Vtilitas denique operationis nulla esse potest, si

4) Cellarum defectu, vel obstructione liquori ad tympanum aditus denegatur. Vbi interim muco tantum obturantur cellulae, iniectio repetita eas forsan iterum aperiet.

§. 38.

Vltimum denique extravasati e tympano educendi adminiculum est myringis incisio, quae non extrauasato solum exitum e cavea aperit, sed liquori simul medicato viam in tympanum parat. Quum interim sine myringis ac ossiculorum labe grauissima vix perfici queat haec operatio, tum modo in vsum vocanda esse videtur, si tubae EVSTACHII vel cellularum apophyseos mastoideae imperuiatio non superanda, iniectioni per has partes aditum ad tympanum praecludant, extrauasati vero indoles acrior, et hinc pertimescenda organi vniversi caries, celerem exposcat materiae stagnantis eductionem.

d) cf. Salzb. chir. Zeit. J. 1790. 3. St

§. 39.

Obſtructionis cauearum labyrinthi, vti diagnoſis, ita et cura plerumque impoſſibilis erit.

Quodſi interim humorum labyrinthi inſpiſſatio in ſuſpicionem veniat, ab electricitate, quae non modo humorum huius caueae ſecretione adaucta, materiae ibi ſtagnantis tenacitatem fundere, ſed vaſa ſimul ad citam eius reſorptionem inſtimulare valet, ſi ab vllo remedio, auxilium hic exſpectari poterit.

Tumore in labyrintho enato, oſſium intumeſcentia ſi cauea imperuia redditur, curam nullam admittet malum.

Sic etiam in labyrinthi carie, membranarum huius cauitatis exulceratione, auditus conſeruandi nulla omnino ſpes erit, cum haud prius ſeſe manifeſtet malum, quam vbi partium auris internae eroſione in tympanum ſibi viam ſtrauerit ichor. In quo caſu omnis cura in eo conſiſtet, vt iniectionibus idoneis caries praeſens coerceatur, corrupti ſeceſſus

cessus promoueatur ac vlcus denique subsequens consanetur.

§. 40.

Quodsi partium machinae auris vitium aliquod immedicabile hanc sonis ad labyrinthum vel neruum auditorium propagandis ineptam reddit, vnica interdum via, qua, dummodo neruus ipse illaesus est, soni sensatio aegro procurari potest, in machinae vsu consistit, tremores sonoros per ossa cranii neruo communicantis. A cl. VERNEYO *e*) iam fuit annotatum, surdastros quandoque multo acutius audire, si super capite ipsorum loquatur, eiusdemque generis methodus ille est, quo Hispanum quendam surdis mutisque, dum occipiti eorum raso voces inclamabat, auditum ac loquelam restituisse scribit de CASTRO *f*).

Optime interim, sonis hac via percipiendis, inseruit bacillus ligneus, mediocris longitudinis, ac eius crassitiei, vt commode ore surdi teneri possit. Huius vnam extremitatem

e) l. c.

f) Misc. nat. cur. Dec. 1. a. 1. obs. 35.

tem dentibus detinet ſurdus, ita tamen vt labiis aut lingua ipſam non attingat. Alteram dentibus eius, quocum confabulari vult, ſimili modo tenendam porrigit, vel cuiuis alio corpori ſonoro, vti inſtrumento muſico etc, cuius ſonum audire cupit, adplicat, atque ita omnia, quae ſecus intelligere non poterat, diſtincte percipit. Plura huc pertinentia apud A. E. Büchnerum *g*) et cl. Krzowitz *h*) inueniuntur.

§. 41.

E variis, quibus neruus auditorius obnoxius eſt, vitiis deſtructio ac atrophia curam nullam admittere videntur.

Maior erit auditus reſtituendi ſpes, ſi nimia nerui ſiccitate auditus laeſus eſſe videatur. In hoc caſu praeter remedia vniuerſum corpus humectantia *i*), vti potus aſſumtionem liberiorem, balnea tepida etc; ab electricitate imprimis cuius egregiam in humorum

g) Abh. v. e. beſond. u. leicht. Art Taube hörend zu machen §. 28.

h) l. c. 209. ſeqq.

i) Cf. §. 19. III.

SERENISSIMO

PRINCIPI AC DOMINO

DOMINO

LVDOVICO DECIMO

HASSIAE LANDGRAVIO

PRINCIPI HERSFELDIAE, COMITI IN CATTIMELIBOCO, DECIA, ZIEGENHAYNA, NIDDA, HANONIA, SCHAVMBVRGO, ISENBVRGO ET BVDINGA REL. REL.

CAESAREI RVSSICI ST. ANDREAE ET REGII BORVSSICI ORDINIS AQVILAE NIGRAE EQVITI CET. CET.

PRINCIPI AC DOMINO SVO

CLEMENTISSIMO

SACRA

SECTIO I.

Auditus difficultatis pathologia.

§. 1.

Auditus difficultas, cuius succinctam historiam in sequentibus exhibere statuimus, morbus est, cum gradu, quo auditu priuat aegrum, tum et decursus ac ortus ratione diuersa, vti et symptomatum vel morborum, quibuscum coniunctus deprehenditur, multifariam admittens varietatem.

Omnem interdum auditum tollit (cophosis, surditas perfecta); interdum soni perceptionem modo minuit (auditus difficultas, baryecoia); et quidem ita, vt vel sonum quemuis iusto diffiiclius percipiat aeger, vel sonorum certi generis sensu ad-

 huc

huc gaudeat. Poſterioris rei exemplum in iuuene obſeruauit cl. STAHL *a*), qui praeter tibiae paſtoralis, nullius alius fiſtulae ſonum audire poterat.

Decurſus morbi continuus eſſe ſolet, quandoque tamen remiſſiones et intermiſſiones habet, ceu vagas ceu periodicas.

Subito quandoque oritur, nonnumquam lente ac gradatim ingraueſcit.

Vtramque ſaepius infeſtat aurem, interdum vnam modo, ſanae auris ſenſu ita hic ſubinde adaucto, vt alterius laeſionem vix deprehendat aeger *b*). Vnius interim auris auditu violato idem haud raro alteri quoque imminet periculum.

Varii generis affectibus ſaepe coniuncta deprehenditur auditus imminutio. Aurium tinnitum, fluxum, vlcus, otitidem ſubinde comitat, ſenſuum aliorum vitiis, vti viſionum ſpectris, amauroſi, anoſmiae; vertigini, capitis dolori pertinaci; aphoniae, artuum paralyſi, aliisque neruoſi ſyſtemati:

a) Colleg. caſual. magn. caſ. 76.

b) RIEDLINI lin. med. a. 4. p. 627.

tis affectibus; frequenter iuncta est. Febrium denique; cum acutarum, tum intermittentium; morborum exanthematicorum; arthritidis, luis venereae etc; symptoma est non infrequens.

§. 3.

Auditus grauitatis in regionibus quibusdam frequentia, hereditaria perinde, quam n familiis nonnullis obseruamus, ad audi.us hebetudinem procliuitas, cuius famoissimum exemplum memoriae dedit cl. ĸRZOWITZ c), recidiuae denique huius itir, vbi semel adfuit, tam crebrae, mulaque alia, certam quandoque huius morbi xistere praedispositionem, manifeste proant. Haec vero duplici inprimis statu inluci videtur, ceu congenito, ceu acquisito.

1mo) Organorum auditus statu laxiore. Hinc infantes; sanguinis ad caput congeioni obnoxii, tam crebro auditus grauitem experiuntur. Commoratio in locis

c) Histor. cophos. pag. 6. 9.

humidis, nebulosis; austri insigniter huic morbo fauent d). Ob solam denique hanc partium atoniam, obaudito a vasorum aeris nimia impletione orta, vasis licet depletis, subinde recurrit. Sic feminae meminit GOHLIVS e), quae desinente fluxu menstruo in baryecoiam inciderat. Haec, malo licet octies remediis fugato, quouis tamen tempore, vbi menses redire debuissent; obauditione periodica molestabatur. Apud HEISTERVM f) surdus auditum, venaesectionis ope aliquoties iam restitutum, breui post semper denuo amisit. Vetula, a multis iam annis coeca surdaque, cum capite aliquando valide in lapides prolapsa esset, sub ingenti vulnerum haemorrhagia auditum recepit, qui vero contusionum remittente inflammatione, iterum interiit g).

2do

d) HIPPOCR. aphorism. Sect. 3. aph. 5.

e) Act. med. Berolin. Dec. 5. art. 2. Nro. 74

f) *Med. u. chirurg. Wahrnehm. 2 B. n. 340*

g) Misc. nat. cur. dec. 2. a. 6. obs. 264.

2do) Rigiditate iusto maiore. Inde imprimis senili aetati, corporibus exsuccis, vt saepenumero sunt hypochondriaci, auditus hebetudo tam familiaris esse videtur.

§. 3.

Causarum occasionalium, auditum imminuentium, ingens numerus ad sequentes praecipue classes redigi posse videtur.

Imminuitur nempe audiendi facultas:

1mo) Causis, quae sanguinem ceu in capitis vel auris vasis nimia copia accumulant.

2do) Causis, quae vires neruosas vel totius corporis vel auris imminuere valent.

3o) Acrimoniis ad auditus organa depositis.

4to) Causis quae partes afficiunt, nexum consensualem cum aure alentes.

5to) Causa quauis, partium auris structuram ac fabricam, ad auditus integritatem necessariam, immediate violante.

§. 4.

Sanguinis in capitis vel auris vasis congestioni tribuenda inprimis videtur auditus laesio, quae insequitur sanguinis fluxus solitos supressos vel subsistentes, vti haemorrhoidum, mensium, fluxum suppressum, narium haemorrhagiam, periodice antea recurrentem non reuersam, venaesectionem solitam omissam *h*). — Caussae sanguinis e capite refluxum praepedientes, vti vasorum colli compressio valida *i*), parotidum tumor *k*), grauiditas *l*), capitis commotio vehemens *m*), intumescentia capitis inflammatoria, sub anginae insultu, faciei erysipelate *n*), auditum haud raro labefactant. — Surditatem obseruauit LAMZWEERDE

h) Cf. cl. KRZOWITZ l. c. p. 19 - 21.

i) Hist. de la acad. des scienc. 1705. p. 53.

k) STÖRK de cicut. libell. 2. c. 3.

l) KRZOWITZ l. c. p. 6.

m) ibid. p. 30.

n) SCHELLHASS diss. de affect. aur. p. 40.

WEERDE *o*), bubonem eximiae magnitudinis in inguine comitantem, quae decrescente bubone decrescebat, increscente increscebat, ac sublato tandem bubone prorsus desinebat. — Similis denique originis ea quoque esse videtur surditas, quae sanguinis nimii ad caput affluxus sequela est. Surditatem perfectam, sub febris intermittentis paroxysmo orientem, ac paroxysmo cessante iterum enanescentem, in binis aegris obseruauit LANZONI *p*). Auditus sub sternutatione *q*), narium emunctione valida *r*), clamore intensiore ac diuturno *s*), parturitionis nisu *t*), laesi exempla haud rara sunt. — Venaesectiones topicae superiorum partium, testante WEPFE-

o) Append. 2. ad SCVLTETI armam. chirurg. obs. 89.

p) Cf. cl. KRZOWITZ l. c. p. 24-25.

q) ibid. p. 12.

r) Ill. RICHTER chir. Bibl. 9. B. 3 St.

s) SCHVLZE diss. de audit. diff. §. 23.

t) KRZOWITZ l. c. p. 15.

RO *u*), auditus grauitati cum vertigine interdum anſam praebent. Baryecoiam non leuem a capitiluuio calido ortam vidit GERBEZZI *x*).

§. 5.

Laeditur interdum audiendi ſenſus cauſis, quae vires neruoſas ceu totius corporis, ceu auris ſolius debilitant. Sic quaeuis cauſa virium totius corporis inopiam inducens, vti haemorrhoidum, menſium, lochiorum, alui fluxus profuſior, labores grauiores, vigiliae ac ſtudia immoderata, lactatio, praeſertim in ſenibus ac cachecticis, HOFMANNO teſte *y*) auditui grauem quandoque inducunt labem. Mulieri quinquagenariae a venaeſectione larga omnis fere interiit auditus *z*). Siluaticus *a*) grauem audi-

u) Obſerv. med. pr. pag. 296.

x) Miſc. n. c. dec. 3. a. 3. obſ. 9.

y) Diſſ. de aud. diff. §. 13. cf. etiam STAHL diſſ. de puerp. affect. p. 29.

z) RIEDLINI cur. med. n. 993.

a) Conſ. et reſp. med. cent. 2. conſ. 18.

auditum cum imbecillitate incessus ac coitus difficultate iuueni cuidam a crebra nimis venere accidisse vidit. Auditus purgantium abusu laesi complura exempla adfert RIVINVS *b*). Surditas post febres remanens vnice interdum a virium languore vniuersali pendet *c*), similemque originem ea quoque agnoscere videtur auditus imminutio, quae animi pathematis, quod vires deprimit, terroris imprimis, sequela est *d*). — E causis aurem solam debilitantibus ante alias hic nominari meretur soni validioris, fragoris perceptio, praecipue subita. Duplicem inprimis eiusmodi sonus in aurem edit effectum:

1mo) Totum organon commouet, summamque eius partibus inducit atoniam. Hinc sanguinem pyrobalariis ex auribus subinde prolicit tormentorum fragor *e*), nec raro

 inter

b) Diss. cit. p. 23.

c) STOERK ann. med. 1. Iul. p. 7.

d) Misc. n. c. cent. 9. obs. 6.

e) Cf. ill. RICHTER chir. Bibl. 1 B. 1 St.

inter tinnitum, cephalalgiam, vertiginem, aliaque sanguinis, in minima auris vasa violenter impulsi, signa hic oritur surditas *f*).

2do) Neruo auditorio paralysin inducit. Sic aliorum quoque sensuum nerui, vt optici, olfactorii, rei grauеolentis, ceu lucis validae impressione, paretici quandoque fiunt. Remedia perinde excitantia, vti electricitas, vapores irritantes auribus immissi, sola interdum auditum hic restituunt *g*). Imprimis eiusmodi status accusandus esse videtur, si soni validioris perceptione continua auditus labefactatur, quale quid de fluuiorum, cum strepitu cadentium accolis, Riolanvs refert *h*). Eodem fere modo capitis quoque laesiones, cum vehementi commotione iunctae, applicata auri relaxantia, narcotica *i*), insultus apoplectici, auditum nonnumquam abolire videntur.

§. 6.

f) Hildani obs. med. chir. cent. 3. Observ. 5. 6.

g) Cf. ill. Selle m. cl. p. 446.

h) Ench. anat. path. L. 4. p. 289.

i) Bartholin hist. anat. rar. c. 6. hist. 77.

§. 6.

Acrimoniae perinde variae, ad auditus organa depositae, muneri suo peragendo haec saepius impares reddunt. Auditus a transpiratione, per refrigerium suppressa laesi numerosos casus annotarunt LENTILIVS *k*), SILVATICVS *l*), FORESTVS *m*), SIMS *n*), multique alii. Eidem excretioni sensim imminutae ortum quandoque debet obauditio infantum, cibos viscidos, farinaceos auide appetentium *o*), vti et eorum, quibus ob commorationem in locis humidis perspiratio imminuitur. — Interdum saliuationis suppressae *p*), fluxus aurium cohi-

k) ETEODR. m. pr. pag. 71. 1261. -- Misc. med. pr. p. 1. pag. 64.

l) l. c. cons. 20. 21.

m) Obs. et cur. med. L. 12. obs. 14.

n) l. c. ad §. 11. II. n. 7.

o) SCHVLZE diss. de aud. diff.

p) F. HOFFMANN opp. t. 4. p. 4. c. 7. Observ. 8.

hibiti *q*), lacrimarum fluxus ſoliti ſubſiſtentis *r*), fluoris albi ad aurem regurgitantis *s*), excretionis per nares obſtructae *t*), ſequela eſt auditus grauitas. Exanthematis ſcabioſi, imprimis achorum retropulſio, virus venerei, varioloſi, acrimoniae arthriticae, ſcrophuloſae etc., ad aurem depoſitio, idem vitium frequenter adducunt. — Surditatis in febrium decurſu enatae cauſa, in ſola nonnumquam materiae morboſae, criſeos tempore non prorſus eliminatae, ad aurem metaſtaſi conſiſtit *u*). — Metaſtaticae denique originis ea etiam eſt auditus imminutio, in quam alii affectus morboſi, vti cephalalgia continua *x*), vertigo *y*), affectus

q) Eiusd. conſ. et reſp. med. cent. 1. caſ. 40. FORESTI obſ. et cur. med. L. 12. Obſ. 15.

r) PEZOLDI obſ. med. chir. ſel. o. 34.

s) Ephem. Germ. dec. 2. a. 7. p. 171.

t) RIVINVS diſſ. cit. p. 23.

u) KRZOWITZ l. c. p. 23.

x) Ibid. p. 26.

y) Ibid.

ctus paralytici, interdum abire obſeruantur. Matronae ſexagenariae, grauiſſime audienti, cum inſultu apoplectico corriperetur, auditus fuit optimus, illo ceſſante, denuo iterum intercidit *z*). Viro, a multis iam annis grauiter audienti, ſub torporis, laſſitudinis ac formicationis ſenſu, a coxa vſque ad malleolum progrediente, auditus ſenſim rediit, ac denique euaſit acutiſſimus, dextro latere prorſus reſoluto *a*).

§. 7.

Aliud cauſarum, auditum laedentium, genus eas includit, quae partes afficiunt, nexu conſenſuali cum aure iunctas, hancque, quamuis modo plerumque incerto, in conſenſum trahere valent. — Sic auditus imminuti non infrequens cauſſa in abdominis viſceribus latet. Auditus grauitatem periodicam, vertigine, cephalalgia, oculorum hebetudine, ructibus, flatibus, aliisque ab-

dominis

z) Büchner miſc. med. phyſ. A. 1727. p. 729

a) Miſc. nat. cur. Dec. 3. a. 7. 8. obſ. 203.

dominis affecti signis stipatam, maiorem ventre pleno et cruditatibus abundante, leviorem cibo cocto ac stomacho vacuo, in hypochondriacis ac abdominis debilitate laborantibus crebro obseruari, variis locis testatur F. HOFFMANN *b*). Consensualem hunc abdominis cum aure nexum iam nouit HIPPOCRATES *c*), „quibus dicens bi„liosae sunt deiectiones, hae oborta sur„ditate cessant, et quibus adest surditas, „his exortis biliosis deiectionibus finitur". Vtrumque hoc in grauida obseruare contigit cl. STORCHIO *d*). Quae post febrem intermittentem interdum remanet surditas *e*), acrimoniis in abdomine retentis imprimis ortum debere videtur, similemque forsan originem ea agnouit cophosis, qua, narrante RIEDLINO *f*), per plures annos con-

flicta-

b) Opp. t. 4. p. 4. c. 6. §. 2. 9. 12.

c) Sect. 4. Aph. 28.

d) Obs. clin. ann. 6. p. 334.

e) KRZOWITZ l. c. p. 24.

f) Obs. med. cent. 1. obs. 57.

flictatus fuit quadragenarius, quaeque oborto ictero euanuit. —

Laefiones neruorum, cum portione dura nerui auditorii anaftomofi iunctorum, grauem interdum auditui inferunt labem. Viri meminit LINDHVLT g), e vulnere finiftri fupercilii 32 annis grauiffime audientis, cui malo, nouiffimis annis, vehemens adhuc aurium fufurrus continensque odontalgia fuperuenit. A vulnere ad initium maffeteris illato furditatem inductam fuiffe refert SMETIVS h). Summa inter hoc obauditionis genus, eamque, quae interdum vulnera fuperciliorum infequitur amaurofin, intercedit fimilitudo, ac eodem fere modo, quo vifum hic aboleri autumat ill. RICHTER i), auditus quoque illic induci videtur iactura. Nimirum nerui laefi, fub vulne-

g) Act. Succ. (interpr. KAESTNERO) Vol. 14. trim. 4. art. 9. p. 313.

h) Mifc. med. L. 10.

i) Anfangsgründe der Wundarzneik. 2r B. §. 321 - 324.

neris cicatrisatione distorti, nimia tensione, quae forsan musculis acusticis, qui neruulos suos a portione dura nerui auditorii accipiunt, spasmum vel paralysin inducit. Tensionem nerui laesi imprimis hic inculpandam esse C. F. PASCHII obseruatio confirmare videtur, vbi sub dentitione difficili sinistrae auris auditus euanuit, dente vero excluso iterum rediit *k)*.

Cerebri denique vitia localia, vti extravasata, tumores, intra cranii cauum enata, auditus aboliti interdum existunt causae; qualia exempla DRELINCOVRT *l)* et SEVERINVS *m)* adferunt.

§. 8.

Vltima denique causarum classis eas comprehendit, quae organorum auris fabricam naturalem immediate violant. — Pertinent huc

Imo

k) Abhandl. a. d. Wundarzn. von den Zähnen. 1 Th. 5 C. §. 4.

l) Th. BONET. sepulcr. anat. L. 1. S. 2. obs. 53.

m) de absc. recond. nat. l. 4. c. 36. §. 2.

1mo. Causae omnes solidorum auris continuitatem vitiantes; dum haec vel dissoluunt, vti vulnera, iniuriae externae, auri illata, vlcera auris corrosiua, acria auri infusa, hydrocephalus *n*); vel nimis relaxant, quod euenire potest abusu iniectionum, sub aurium manatione, aeris violenta in aurem impulsione etc.; vel nimiam auditus organis inducunt rigiditatem, quae humorum auris secretionis impeditae, incrassationis ceu ossificationis membranarum acusticarum etc. sequela esse potest.

2do Causae quibus caua auris imminuuntur vel aboliuntur, vti humorum accumulationes, tumores caua haec opplentes, peregrina in aurem illapsa, membranae praeternaturales, caua dispescentes, coalitus parietum cauearum acusticarum etc.

3o Primae conformationis vitia.

Harum omnium, sub laesionum, quas auditus organis inferre valent, enumeratione, aptius fiet mentio.

§. 9.

n) Vid infra §. 14. n. II.

§. 9.

Auditus difficultatis ſedes, pro partium, quae aurem humanam conſtituunt, duplici varietate

1mo Vel in partibus ſono excipiendo et ad neruum auditorium propagando deſtinatis, (auris machina, organon) vel

2do in neruo auditorio ipſo, reſidere poteſt. Machinae auris laeſae ſigna generalia ſunt:

1) Cauſa hanc violare valens ſurditati anſam dedit *o*).

2) Nerui auditorii laeſi nulla apparen indicia.

3) Per oſſa cranii, adminiculis infra dicendis *p*), neruo auditorio adhuc communicari poteſt ſonus. — Nerui auditorii vitio auditum laeſum eſſe cognoſcitur:

1) E ſignorum, machinae laeſionem indicantium, abſentia.

2) E cauſae praegreſſae indole, quia eius generis eſt, vt neruum auditorium proxim

o) cf. §. 8.

p) Vide infra §. 40.

proxime afficere videatur; e. g. fragoris perceptione, irritamento abdominali, etc.

3) E surditatis origine repentina. Organi enim vitia lente plerumque auditum absumere solent.

4) Ex auditu in vtraque aure abolito, vel simul, vel in vna aure prius, quam altera. Vtrumque enim suspicionem mouet, communem neruorum acusticorum originem affectam esse.

5) E symptomatibus, cum surditate iunctis, vti visus defectu, visionum spectris, anosmia, soni intolerantia, etc. *q*); morbum comitante.

§. 10.

E partium, quae machinam auris componunt, singulis vitiis, leuissimam inter omes auditui infert noxam auriculae externae laesio. — Vulnere aut vlcere quandoque auricula absumitur, interdum primae conformationis vitio prorsus deficit. — Gentes Europaeae pleraeque fasciis ac mitris, quos infantium auribus applicant,

 omnem

q) Vid. §. 19.

omnem fere huius partis tollunt mobilitatem, idque vnice forsan in causa est, cur auditu, in genere, minus acutiore gaudeant nationibus feris. Quam parum interim cum eius defectu tum immobilitate imminuatur auditus WEPFERI aeger probat, cui per vlcus tota auricula dextra absumta fuit, auditus tamen ita fere ac antea perstitit *r*).

§. 11.

Gravius baryecoiae genus pori acustici externi morboso statu inducitur. Huius canalis vitia praecipua sunt:

I) Mala conformatio. Meatum auditorium nimis breuem ac directum, ceu minus flexuosum auditus difficilioris quandoque existere causam affirmat cl. HAAS *s*). Inspectio in aurem ac specillum vitium hoc facile deteget.

II) Imperuiatio, quae imperforationi congenitae *t*), membranarum praeternatura-liun

r) l. c. p. 879.

s) Diss. de aud. vitiis.

t) KRTGWITZ l. c. p. 39.

lium, pori cauum difpefcentium *u*), tumoris glandulofi, polypofi, excrefcentialis, etc. *x*), parotidum intumefcentiae *y*), interdum fequela eft. Auditum in diuturna lue Gallica affectis fubftantia membranofa, e pori cauo quotidie decidente, quandoque turbari F. HOFFMANN *z*) afferit, ac fimile quid viro, chronicum ante aurium fluxum paffo, quotannis accidiffe vidit SCHULZE *a*). Ab extrauafato perinde quovis, purulento, fanguineo, etc., a peregrinis in aurem illapfis, vermibus in aure praefentibus *b*), infectis ingreffis, haec imperviatio fubinde inducitur. Frequentiffime interim a cerumine, ceu iufto tenuiore *c*), ceu, vti ple-

u) Ibid. p. 37.

x) Ibid.

y) HOFFMANN Diff. de aud. diff. §. 5.

z) Ibid. §. 7

a) Diff. de aud. diff. §. 6.

b) ACREL chirurg. Kranken-Gefchicht, a. d. Schwed.

c) cf. cl. KRTOWITZ l. c. p. 40.

rumque euenit, spissiore quam par est, imo lapideo, meatus auditorius obturatur *d*). Lapidea haec ceruminis induratio cl. KRZOWITZ a diathesi corporis arthritica plerumque pendere videtur *e*); id quod cum ceruminis ita petrificati cum arthriticorum tophis similitudo, tum et casus nonnulli, vbi hoc vitium symptomatibus arthriticis manifeste iunctum fuit ipsi probant.

Detegitur pori acustici imperuiatio:

1) Caussae praegressae vel praesentis cognitione, e. g. corpore peregrino in aurem illapso, parotidum tumore etc.

2) Materiae obstruentis ex aure prouentu, vti puris, aquae, ceruminis tenuioris, meatum implentis, effluxu; insectorum, vermium, exitu; leguminum in porum illapsorum ex aure egerminatione *f*).

3) In-

d) Ibid. p. 41. sq.

e) Ibid. p. 10.

f) Ibid. p. 186.

3) Inſpectione in aurem, luci obverſam, ac ſi neceſſe eſt dilatatam. Auris dilatationi ſpeculum ab HILDANO *g*) deſcriptum inſeruit.

4) Specillo auri immiſſo. Quod ſi offendat vſpiam; ſi minus ac par eſt in aurem deſcendat; aut in vnam altius descendat altera; ſi eductum ſordibus inquinatum ſit; heterogeni quid in poro adeſſe liquet.

5) Si poro acuſtico laeſae auris arte obturato, auditus non euadit hebetior.

6) Si melius audit aeger ore hiante.

7) Si vocem propriam diſtincte percipit. Huius enim perceptio tubarum EVSTACHII ope imprimis fit, ac pori acuſtici obſtructione vix imminui poſſe videtur, notante cl. SIMS *h*). Hinc etiam

8) Voce ſubmiſſiore loqui ſolet eiusmodi aeger, cum e contrario ſurdi e tu-

g) Obſ. et cur. med. chir. cent. 1. obſ. 4.

h) Vid. merkw. Abhandl. d. Londn. medic. Geſellſch. 1. B. a. d. Engl. Altenb. 1789.

bae Euſtachianae obſtructione vocem in loquendo magis ac ante eleuant. Signa haec quatuor poſteriora meatus auditorii imperuiationi ac myringis ad contremiſcendum ineptitudini communia ſunt. E ſoni enim per tubas EVSTACHII perceptione, cum, tubis, tympano, membranae feneſtrae rotundae ac labyrinthi partibus, nil vitii ineſſe, innoteſcat; porum acuſticum vel tympani membranam affecta eſſe neceſſe eſt. Nam oſſiculorum ineptitudo ſola, ſoni, meatum auditorium intrantis, ad labyrinthum propagationem impedire nequit *i)*.

§. 12.

Eadem fere ratione, ac pori acuſtici imperuiatione fit, auditus laeditur, ſi myrinx ſoni impreſſione in motum tremulum non concitatur. In vtroque enim caſu tremores ſonori, meatum ingredientes, interioribus auris non communicantur. Auditus imminuti cauſa proxima ſemper in hu-

ius

i) cf. §. 14.

ius membranae morboſo ſtatu quaerenda erit, ſi poro acuſtico ſatis peruio:

1) Signa memorata (§. praeced. 5. 8) adſunt.

2) Si manu concaua vel tuba acuſtica auri admota auditus euadit melior. His enim adminiculis vndae ſonorae maiori vi myringi illidunt, membranamque ad contremiſcendum cogunt.

3) Si auditus tantum imminutus eſt non prorſus abolitus. Surditati enim producendae myringis ineptitudo ſola non ſufficere videtur *k)*.

Bini omnino membranam hanc contremiſcendo ineptam reddere valent ſtatus:

I) Laxitas nimia, quam aeris violenta in myringem impulſio, tempore fragoris, ſternutationis &c.; aurium manatio diuturna; iniectionum oleoſorum abuſus *l)*, cauſare poteſt, quamque e cauſa praegreſſa, myringi laxandae idonea; ex auditu difficiliore tempeſtate humida, meliore coelo

 ſicco,

k) KRZOWITZ l. c. p. 78. 79.

l) TIMAEI reſponſ. 46.

ſicco, ſereno; e leuamine mali poſt aſtringentia, augmento a relaxantium vſu, dignoſcimus.

II) Rigiditas praeternaturalis, quae induci poteſt ſiccitate auris nimia; intumeſcentia myringis inflammatoria, excreſcentiali *m*); myringis oſſificatione *n*); pure, cerumine in membranae huius ſuperficie indurato; materiae ſebaceae, qua neonatorum myrinx obducta reperitur, quaeque poſtea cum cerumine euacuari ſolet, retentione. Bis hanc ſubſtantiam, membranae craſſae, robuſtae ad inſtar myringi inhaerentem, in puerulorum ſurdorum anatome vidit FABRICIVS *o*), eamque cum cl. VALSALVA *p*) pro cauſa ſurditatis connatae ordinaria habet. Puellae meminit DRAAKE *q*), quae hac demum membrana poſt ſur-

m) Act. nat. cur. v. 1. obſ. 223.

n) LÖSEKE obſ. anat. chir. med. 2. p. 25. not. 1.

o) De chirurg. operat. ſ. 39.

p) Tract. de aur. human. c. I. §. 13. p. 19. ſq.

q) Anthropol. Book 4. ch. 12.

ſurditatem octennem excidente, auditus vſum adepta eſt; ac ſimile quid in ſurdo mutoque ab ortu contigiſſe videtur, qui aetatis anno XXIVmo oborta ſuppuratione in vtraque aure auditum recepit r). Diagnoſin huius ſtatus ſaepe dificillimam conſtituunt

1) Cauſae ſigna. Myringem nimia ſiccitate laborare e ceruminis defectu aliisque id genus indiciis ſuſpicare licet s). Cruſtam puris, ceruminis myringi inhaerere, vlcus auris praegreſſum, neglecta auris purgatio, ſuſpicionem aliquam mouet. Membranulae neonatorum in myringe retentionem ſurditas congenita quodammodo prodit. Intumeſcentiae myringis inflammatoriae, excreſcentialis, metum, inflammatio, vlcus auris, praegreſſa excitant.

2) Auditus melior coelo pluuioſo, humido, difficilior aere ſicco,

§. 13.

r) Mem. de la acad. des ſc. a. 1703.

s) cf. §. 19. III. 2.

§. 13.

Membranae tympani dilaceratio immediate nullam auditui inferre videtur noxam, quod casus complures, vbi, myringe manifeste peruia, imo prorsus destructa, auditus tamen nihilominus vel illaesus permansit, vel parum modo deprauatus fuit, probant *t*). Membranam fenestrae rotundae solam myringis deficientis hic expleuisse munus cl. SCARPA verosimillimum reddit *u*). Quamvis interea huius membranae destructione necessario non tollatur auditus, aeris tamen frigidioris, pulueris, aliarumque sordium libero iam ad interiora auris accessu, partibus organi internis ac auditui immedicabilem sensim adduci labem necesse est *x*), nisi vulnus membranae illatum iterum coalescat, ceu

t) Omnes fere obseruationes huc facientes collegit cl. KRZOWITZ l. c. pag. 52-64.

u) De fenestra rot. e. tymp. sec. in delect. opuscul. medic. Ital. cur. ROEMERO Vol. I. pag. 56. 57.

x) cf. cl. KRZOWITZ l. c.

ceu myringis destructae loco noua regeneretur. Vtrumque hoc naturae interdum perfici viribus cl. VALSALVAE euincunt obseruata *y)*.

Myringis continuitatem solutam esse cognoscimus:

1) E causa praegressa, myringem destruente.

2) Si specillum auri immissum iusto altius descendit.

3) Si fluidum auri immissum in fauces effluit.

4) Aer vel tabaci fumus sub exspiratione per meatum auditorium erumpit et flammulam ceu plumulam auri admotam mouet.

§. 14.

Ossiculorum causticorum catenula, myringis tremoribus ad labyrinthum propagandis inseruiens, triplici statu muneri hoc defungendo impar redditur:

I) Mala

y) cf. cl. MORGAGNI epist. anat. 13. n. 12.

I) Mala conformatione. Oſſicula admodum exilia ac tertia parte minora ſolito, in aure pueri ab ortu ſurdi mutique reperit BAILLY z). Plane contrariam catenulae fabricam in aure quadam inuenit cl. COTVNNI a). Oſſicula hic, imprimis ſtapes, duplo maiora erant conſueto, membrana vero feneſtrae rotundae integre ab oſſe clauſa. Num hic, vti autumat cl. SCARPA b), baſis ſtapedis duplo maior, qua tremores feneſtram oualem aſcendentes duplo amplificarentur, membranae deficientis explebat munus?

II) Diſſolutione, quae vitii connati c), vlceris carioſi, oſſicula erodentis, auriſcalpii profundius auri intruſi, forſan et aeris, violente per tubas EVSTACHII in myringem impacti, ſequela eſſe poteſt. Sub hydroce-

z) In BONETO l. c. §. 3.

a) De aquaeduct. §. 72.

b) l. c. §. 29.

c) In BONET. ſep. anat. L. I. ſ. 19. obſ. 4. §. 1. 2.

drocephalo interno, teste ill. BLVMENBACH *d)*, diaphyses tres, quae totum os temporum componunt, quandoque secedunt, quo fit, vt ossiculorum catena diuellatur. Malleum ac incudem plerumque hic cum parte squammosa ossis temporum sursum actos vidit ill. Vir; semel ipsum stapedem e fenestra sua euulsum reperit.

Hinc fieri putat, cur nonnulli eiusmodi aegri, licet adultiores facti, surdi stolidique maneant, nonnullis vero auditus illaesus perstet.

III) Immobilitate; quae resolutione musculorum acusticorum *e)*; muco, pure, sanguine indurato, ossiculis inhaerente; fortasse et ossiculorum luxatione, per aerem impetuose myringi impactum; articulationum catenulae anchylosi; ossificatione interdum videtur induci.

In

d) Geschichte und Beschr. der Knochen des menschl. Körp. pag. 140.

e) cf. §. 7.

In ſurdi cuiuſdam aure cauſam mali in eo inuenit cl. VALSALVA *f*); quod membrana feneſtrae oualis, in ſubſtantiam oſſeam indurata, vnum continuatum os conſtituebat cum baſi ſtapedis et margine feneſtrae oualis, adeoque efficiebat ne amplius ſurſum deorſumue moueri poſſet.

Non neceſſario interim catenulae ineptitudine ſola tolli videtur auditus. Myringe enim deſtructa quis eſſe poteſt oſſiculorum vſus? At in manifeſta huius membranae deſtructione nihilominus haud raro perdurat auditus. Canes quibus lacerata fuit myrinx, oſſiculaque fracta *g*), auditu tamen minime ſunt orbati. Quid quod teſte RIOLANO *h*) ſurdus quidam tum demum auribus frui coepit, cum auriſcalpio profunde in aurem demiſſo myringem ſibi diſruperat oſſiculaque fregerat.

Oſſi-

f) Tract. de aur. hum. c. 2. §. 10.

g) MORGAGNI epiſt. anat. 13. n. 12.

h) ENCHIR. anat. L. 4. c. 4.

Officulorum catenulam laefam effe forfan fuspicare licebit, fi locum, vnde adveniat fonus, percipere nequit aeger. Innuit hoc ich VALSALVAE obferuatio *i*). E tribus enim canibus quibus myringes perforauerat, altera 50 circiter a membranarum perforatione diebus, cum cetera etiam tum bene exaudiret, id tantum noxae coepit oftendere, vt vnde foni aduenirent, non amplius videretur internofcere; nam vocata faepe alio fe conuertebat quam in eam partem, vnde vocabatur". Interemta dein cane vterque malleus fractus reperiebatur, myringe vtraque confanata, atque in vna fitus et color a natiuo abludens. In reliquis canibus, quibus mallei erant illaesi, nil eiusmodi deprehenfum fuit. Cur tamen hoc fymptoma non ftatim, fed 50mo demum a myringe pertufa die occepit, ac poft menfem iterum euanuit?

E catenulae fingulis vitiis mala conformatio diagnofin nullam admittit.

Ca-

i) MORGAGNI l. c.

Catenulae dissolutionem causae praegressae vel praesentes, hoc vitio inducendo idoneae, vti iniuria externa, officulis illata; hydrocephalus; caries officulorum, quam ex otalgia praegressa et sanie cariosa, cum squammulis osseis per tubam Eustachii in fauces, vel porum acusticum prodeunte, cognoscimus, interdum prodent.

Catenulae quoque immobilitas e sola causae praegressae cognitione suspicari potest. Sic vulnus faciei, dentitio difficilis, resolutionis musculorum acusticorum metum excitant. A sordibus induratis catenulam immobilem reddi, extrauasati in tympani cauea stagnantis, signa suspicare sinunt. Anchyloseos, ossificationis articulationum catenulae, aetas aegri prouectior, luxationis officulorum, sternutatio, narium emunctio valida, morbo praegressae, suspicionem mouent.

§. 15.

Non infrequens perinde auditus imminuti causa in tubae Eustachianae imperuiation

tione consistit. Aer per canalem hunc tympani caueam ingrediens cum sonos ore exceptos, tum et tremorum myringis non exiguam partem suscipit, ac per membranam fenestrae rotundae labyrintho aduehit. Hinc in eius obstructione non modo soni cuiusuis in ore excitati sensus interit, sed sonorum quoque, meatum auditorium intrantium, perceptio minuitur. Hominem nouit cl. VALSALVA, faucium vlcere in sinistrae tubae regione laborantem, cui, quoties mollem turundam in vlceris cauitatem intrudebat, auditus illico intercidit, statim vero rediit turunda ex ore remota *k*).

E causis huius imperuiationis, omnium fere consensu frequentissima est refrigerium, hinc inde oriunda membranae tubas inuestientis intumescentia inflammatoria. Tumores inflammatorii, suppuratorii, membranam faucium, quae tubas quoque subit, afficientes, quales sub morbis anginosis interdum eueniunt, vel orificii tubalis compressione, vel ipso parietum tubae coalitu,

k) De aur. hum. c. 5. §. 10.

idem quandoque inducunt vitium. Vlceris denique faucium, imprimis venerei; muci puris, ceu in tubae cauo, ceu ipsius modo orificio, indurati; cruftae aphthofae, tubae orificio infidentis; polypi narium, in fauces penetrantis; non raro fequela eft. Diagnofin eiusmodi obftructionis abfoluunt fequentia:

1) Caufae praegreffae cognitio.

2) Exfpirationis validae, ore naribusque claufis fufceptae momento, moleftum preffionis ac tenfionis in myringe fenfum — ab aere per tubas in myringem impulfo pendentem — non percipit aeger.

3) Tinnitus, fufurri, aliusue fonitus extra aurem non exiftentis, fenfu affiduo moleftatur. Symptoma hoc aeri, in tympani cauea inclufo, tribuendum effe, fimilis docet fonorum illufio, quam percipimus tum, fi, meatu auditorio digitis obturato aeri in eius cauo contento exitum praecludimus.

4) Fr

4) Fragoris sensu in aure percepto auditus euadit melior. — Saepenumero accidit, vti surdis, post omnium fere remediorum vsum frustraneum, sub fragoris, bombardae explosae, imo tonitru sonitui similis, sensu sponte auditus vel prorsus redeat, vel ad tempus saltem insigniter leuetur *l*). Phaenomenon hocce ab aere in tympano incluso, ac impetuose per tubam prorumpente pendere videtur *m*). Etenim 1mo) simile accidit symptoma, si aure digitis aliquamdiu arcte obturata, aeri ita in pori acustici cauo incluso exitus repente aperitur. 2do) EMINVS quandoque hic sonitus ab astante percipitur *n*), manifesto indicio, ab aere moto istum produci.

3o) Post remediorum, quae tubarum infarctum tollunt, vsum, fragor hic cum praesente plerumque obauditionis leuamine obo-

l) KRZOWITZ l. c. p. 94.

m) LESKE auserl. Abh. pr. u. chir. Inh. a. d. phil. Transact. 4 Th. n. 54.

n) cf. cl. VOGEL de cogn. et cur. praec. c. h. affect. §. 585.

oboritur *o*). Quum vero in nulla alia furditatis specie, quam quae a tubae obstructione oritur, aër in tympano inclusus esse possit, vbicunque hoc symptoma deprehenditur, ad tubarum Eustachii imperuiationem colligere licebit.

5) Vocem propriam non percipit aeger, vel obscurius ac antea. Surdo WATHENII ad primam iniectionem in tubam factam propriae vocis sensus illico rediit *p*). Vna interim tuba adhuc peruia, fallere potest hoc signum.

6) Vocem in loquendo magis ac ante eleuat aeger.

7) Meatu auditorio arte obturato, qui adhuc superest auditus, plane intercidit. Altervtra interim tuba adhuc aperta hoc signum fallet.

§. 16.

Medium quasi, in quo vndae sonorae, tam per tubas Eustachii, quam meatum audi-

o) cf. cl. SIMS l. c.

p) LESKE l. c.

auditorium aduenientes confluunt, vlterius hinc ad labyrinthum propagandi, constituit tympani cauea. Hac vllo modo obstructa, ac imperuia; radii sonori vtraque via aurem intrantes ad neruum auditorium non pertingunt, sonique perceptio tollitur.

Plerumque haec obstructio humorum in tympani cauea accumulatione causatur, vti puris, muci, saniei, tempore suppurationis, inflammationis, cariei, in tympano praesentis. In febrium aliorumue morborum decursu, metastatice interdum humores serosi ad tympanum deponuntur, caueam opplentes. Sic in surdastri, apoplexia interemti, capite vtrumque tympanum aqua repletum vidit cl. MORGAGNI q). Surditates quae febribus superueniunt saepe coniunctas inuenit cl. VALSALVA cum aqua vtroque in tympano redundante r). In oue surda tympani cauum ac tota tuba Eustachii ex-

 cres-

q) Epist. anat. 7. n. 6.

r) Ibid.

crescentiis repleta reperiebantur s). Quandoque membranae praeternaturales per tympani et cellularum mastoidearum caueas dispersae, has imperuias reddunt; quod in binis surdis obseruauit MORGAGNI t).

Tympani obstructionem frequenter tubae Eustachianae imperuiatione iunctam esse, verosimillimum est. Praeterea enim, quod causae tympanum obstruentes, e. g. membranae huius caueae suppuratio, excrescentiae ex eadem enatae, tubam quoque, quam eiusdem membranae continuatio inuestit, simul interdum inferciant; vnius etiam horum cauorum obstructio idem alteri inducere valet vitium. Tuba enim imperuia, monente RIOLANO u), humores in tympano secreti, vel eo delati, exitum nuspiam inuenientes, ibi accumulentur necesse est; et contra si tympanum extrauasato ali- quo

s) Act. nat. cur. Vol. I. obs. 223.

t) Epist. anat. 5. n. 26.

u) Animadv. in theatr. Bauhin. p. 243.

quo oppletum fuerit, facillime hoc tubam quoque obstruet.

Diagnosis tympani imperuii pro causae obstruentis diuersitate varia est.

Extrauasatum aliquod in cauea hac stagnare colligitur:

1) E causae praegressae cognitione, inflammatione e. g. auris internae, quae in suppurationem abiit, cariei in tympano signis etc.

2) E tensionis, grauitatis, fluctuationis in tympano sensu, notante BVSSONO *x*).

3) E materiae stagnantis in fauces effluxu. Feminae a fluoris albi subsistentia surdastrae, quoties caput inclinaret, comederet, humor acris et salsus linguam petebat *y*). Alius, per multos iam annos baryecoia graui, cum ichoris foetidi ex aure effluxu, quouis hyeme redeunte laborans, molestum simul summis in faucibus gustu

 odora-

x) cf. HALLERI disputat. chir. select. T. II. n. 44.

y) Ephem. Germ. dec. II. a. 7. p. 171.

odoratuque saepe percepit sensum, eamque ibi titillationem, vt saliuae flauescentis insignis copia ex ore proflueret z).

4) Si fluidum per processum mastoideum in tympani caueam iniectum, sordibus inquinatum redit.

A membranulis praeternaturalibus caveam interrumpi tum suspicari potest, si iniectione per processum mastoideum facta, in fauces non penetrat fluidum, sed ex apertura noua illico iterum refluit.

Excrescentiarum in tympano praesentium cariei in tympano indicia, vti sanies in fauces effluens etc. metum ciere possunt. Myringe simul erosa specillum ac inspectio in aurem eas deteget.

§. 17.

Summae dignitatis ac ad auditus integritatem necessitatis pars membrana fenestrae rotundae est a). Oscillationes sonoras,

z) Act. n. cur. V. I. o. 223.

a) cf. cl. SCARPA l. c. (ad §. 13.)

ras, aeri in tympani cauo hofpitanti impartitas, membranula haec fufcipit; proprioque tremore auctas in labyrinthum transmittit. Meatu perinde auditorio *b*); myringe *c*) ac officulorum catenula *d*), fonis excipiendis ineptis, vnice interdum harum partium explere valet munera.

Alterationum interim huius membranae morbofarum, myringis morbis forfan haud diffimilium, natura ac diagnofis hactenus in obfcuro latent.

§. 18.

Partes fono exipiendo et ad intima auris propagando dicatas cum organo fonum fentiente ipfo proxime nectitur labyrinthus auris, quem veftibuli cochleae ac canalium femicircularium caueae componunt. Compofita haec ac fabricae artificio admirabilis cauitas tenerrimas recipit portionis mollis nerui

b) vid. infra §. 29.

c) Vid. §. 30.

d) Vid. §. 14.

nerui auditorii expansiones, quibus per aquulam, omne labyrinthi cauum explentem e), tremores sonori communicantur. Immediatum itaque, quod machinam auris cum neruo auditorio iungit, tollitur vinculum; cauea hac, aliqua sui parte, impervia existente, eoque irreparabilius eiusmodi status auditui inducit damnum, cum molli simul, quam labyrinthus continet, neruosae pulpae immedicabilem plerumque inferat labem.

Sordium spissarum in labyrinthi caueis accumulatio, quam in aurium anatome subinde obseruari, ac membranarum labyrinthi inflammatione induci affirmat cl. VERNEY f); parietum labyrinthi ossearum intumescentia venerea, scrophulosa, etc.; puris, saniei in labyrinthi cauo aggestio, tempore suppurationis, cariei, interiora auris

e) Cf. ill. WRISBERGII not. 132. ad A. HALLERI p. l. physiol.

f) De org. aud. p. 3.

ris occupantis; huic imperuiationi imprimis ansam praebere valent.

Diagnosis interim eiusmodi flatus difficillima ac saepe impossibilis erit, et vnice e causae surditati praegressae signis petenda.

Humoribus spissis cauea dicta repleri ex inflammatione auris internae, quam insequebatur surditas, quodammodo potest suspicari.

Ossium labyrinthi intumescentiae venereae, scrophulosae etc. suspicionem surditas, sublata lue, sanatis scrophulis perdurans, mouet.

Caries labyrinthi semper metuenda erit, vbi suppurationis, cariei in tympani cauo apparent indicia, ac dolore simul fixo, rodente, in intima organi parte cruciatur aeger.

§. 19.

Quodsi partium, machinae auris adnumerandarum vitio tribui nequit auditus læsio, ac supra memorata *g)* indicia adsunt, in

g) Diss. de aud. diff. §. 12.

in statu morboso nerui auditorii causa proxima morbi quaerenda est.

Praecipui huius nerui status, quibus soni impressioni sentiendae ineptus euadit, sequentes imprimis esse videntur.

I) Destructio quae sub carie, suppuratione in labyrintho euenire potest, cuiusque metum dolores fixi ac rodentes in intima organi parte &c. excitant.

II) Atrophia, qualem statum signo quidam nullo detegendum in neruo auditorio ac optico dextro canis surdastri ac vno oculo capti inuenit F. Hoffmann *h*).

III) Siccitas nimia, quam aquulae, neruosam labyrinthi pulpam irrorantis, subsistens secretio proxime inducit. — In surdi cuiusdam capite causam surditatis in nerui auditorii vtriusque lateris exsiccatione inuenit cl. Arends *i*). Eiusmodi quoque vitio laborasse videtur Rivini puer, cui post vini potum narium excretio substitit auditus.

h) Diss. d. a. d. §. 12.

i) De cephalalgia.

tusque interiit, a quibus tamen malis continuato acidularum Egranarum vſu reſtituebatur *k*). Similis originis ea etiam fuiſſe videtur ſurditas, in quam iuuenem corporis ſiccioris ac lucubrationi deditum inci-diſſe vidit cl. STAHL *l*), cum a potu prorſus fere abſtineret, quae vero aſſumto potu copioſiore iterum euanuit. Praeter haec, capitis quoque diuturna ad radios ſolares expoſitio, euacuantium abuſus, ſimilesque cauſae corpus exſiccantes, vitio huic producendo pares eſſe videntur.

Diagnoſin huius ſtatus conformant:

1) Cauſae ſurditati praegreſſae, aurem ſolam vel corpus vniuerſum exſiccantes.

2) Siccitatis ſigna in aure ac toto corpore obuia; vti ceruminis defectus, naſi inſolita ſiccitas, excretionum omnium paucitas, habitus corporis ſiccior etc.

3) Auditus melior tempeſtate humida, deterior aere ſicco, calido.

4) Iu-

k) Diſſ. cit. p. 23.

l) Colleg. caſ. magn.

4) Iuuamen a humectantibus, exsiccantium noxa.

IV) Compressio, quam extrauasata, tumores neruum auditorium vel in ortu suo, ceu progressu intra labyrinthum prementia, intumescentia ossium labyrinthi, saepissime vero sanguinis in auris vasis accumulatio, producunt. Neruum tumore, extrauasato aliquo, ossium intumescentia compressum esse, diiudicatu plerumque impossibile erit.

Compressionem a sanguinis congestione ortam indicant sequentia:

1) Causa sanguinem ad caput compellens *m*) morbo ansam dedit, imprimis in plethorico.

2) Congestionis sanguineae in aure ac capite apparent signa, vti pulsationis in aure sensus, capite imprimis inclinato *n*), vertigo, cephalalgia, rubor faciei etc.

3) Augmentum morbi periodicum. Sic quibus a mensium, haemorrhoidum subsistentia,

m) Vid. §. 4.

n) cf. ill. VERNEY l. c.

ſtentia, venaeſectione omiſſa, auditus laeſus eſt, eo tempore augeri ſolet malum, vbi fluxus redire, venaeſectio inſtitui debuiſſet. Qui auditus grauitati a ſanguinis congeſtione ad caput obnoxii ſunt, eius exacerbationem experiuntur vere et autumno, quo tempore humores magis moveri, congeſtiones augeri ſolent o).

4) Adiuuantia, ac nocentia. Noui virum, a capitis commotione diu iam grauiter audientem, cui cubiculum calefactum ngredienti auditus ſtatim plane perit, idemque accidit poſt leuiſſimum quoduis pelum refrigerium.

V) Languor praeternaturalis, cui audius laeſio tribuenda eſſe videtur:

1) Si cauſa debilitans malum induxit, vel ſurditas, a vaſorum auris nimia impletione orta, hac licet ſublata, perdurat.

2) Si melius audit aeger poſt paſtum ſſumtoque vino, melius vbi plures ſimul

vndae

o) Diſſ. cit. §. 12.

vndae sonorae aurem intrant, aure v. g propius ad sonum admoto, ore hiante manu concaua auri admota etc.

3) Si strepitus, per aera, tympana campanas etc. excitati, momento, omni id tempus percipit aeger, hoc vero silent iterum surdus euadit *p*). — Symptom hoc myringis nimis flaccidae signum pleri que esse putant, membranam hanc sub tal sonitu ad debitam tensionem cogi, mune rique suo aptam reddi censentes. Qu vero modo talis sonitus myringem ita i tremores concitare posset, vt sonos long minores, e. g. mussitantium verba, simu eo tempore percipiat aeger? Qua ration perstantem auditus restitutionem efficer eiusmodi fragor, magis, vt videtur, my ringi laxandae, quam eidem tendend idoneus? Probabilius ex eius praesentia a nerui auditorii atoniam concluditur. S quoque coecitatem, a nerui optici paraly ortam, lucis validae impressio quandoq sana

p) Vid. §. 42. n. 8.

ſanat. Semel perinde ſurditatem, eiusmodi phaenomeno iunctam, iniectione irritante (ex infuſo ror. mar. et cortic. ſalic.) in tympani caueam facta ſuſtulit cl. FIELITZ q).

4) Remedia excitantia auditum emendant, ſedantia vero nocent.

VI) Senſibilitas nimia, quae quantum audiendi negotium turbare valeat, ſequens docet F. HOFFMANNI obſeruatio r). Viro, vertigini ac ceruicis dolori obnoxio, poſt inſultum ſpaſticum, ſiniſtram imprimis capitis partem afficientem, grauiſſima ſucceſſit obauditio, laeuae praeſertim auris.

Huic ſub dio auditus fuit liberior quam in conclaui, et in fornicatis locis grauior ſeu plane nullus: facillimus contra ſi a puncto ſonoro aliquantum remotior ſuperiorem auris dextrae regionem a capite paulum reclinaret. Quodſi iuxta horologium pendulum conſtitit, pulſus eius non audiit, niſi vbi ad 4 - 5 greſſus recedens

D 2 au-

q) Vid. §. 42. n. 4.

r) Cons. et reſp. med. cent. I. caſ. 40.

aurem modo dicto leuaret. Surdi memin
cl. WATHEN s), cui inter visionum spe
ctra varii coloris auditus interierat, qui ta
men iniectionibus per tubam Eustachi
saepe repetitis, aliquantum emendabatur. A
soni intensiores, qui prius ad colloquer
dum erant necessarii, nunc ipsi fuerur
molesti, ac ingratam et dolorosam in aur
excitarunt sensationem. Idem in propri
voce ipsi accidit, nec sua aliorumque verb
audire potuit, nisi longe submissiora, quar
ante fuerat necessarium. In conclaui trar
quillo mediocrem vocem in colloquio sin
molestia percepit. Similis forsan nerui au
ditorii status in muliere quoque obtinui
quae e refrigerio surda assiduo simul aur
culae motu conuulsiuo molestabatur t).

Neruum auditorium eiusmodi statu la
borare innotescet:

1) E causa praegressa irritante, v
acrimoniae ad interiora auris metastasi, re
frigerio etc. in corpore irritabili.

2)

s) l. c.

t) cf. ill. LESKE l. c.

2) E phaenomenis cum ſurditate coniunctis, vti ſoni intolerantia, auriculae motu conuulſiuo, ſpectris viſionum, ſonorum extra aurem non exiſtentium ſenſu etc. auditus grauitatem interdum comitante.

3) Si melius audit aeger a corpore ſonoro remotus, quam eidem adſtans, ac humiliores ſonos melius percipit, quam intenſiores.

4) Ex anodynorum vſu, irritantium vero noxa.

§. 20.

Laeſionum, quibus auditus organon obnoxium eſt tam variarum diagnoſis plerumque difficillima; tenerrima partium eius praecipuarum fabrica, qua fit vt leuiores quoque cauſae immedicabilem ſaepe illis inferant labem; difficultates denique in remediorum ad partem laeſam ipſam applicatione immediata, obuiae, haud raro inſuperabiles; minime laetam in genere reddunt auditus difficultatis prognoſin. Hanc interim, pro cauſae occaſionalis, partis af-

 fectae,

fectae, ac laesionis modi varietate, pro
morbi denique complicatione varia, admo
dum diuersam esse, necesse est. Horum
itaque omnium prius habita ratione, quid
in casu quouis singulo timendum sit au
sperandum, facile poterit diiudicari.

SECTIO II.

Auditus difficultatis curatio.

---

§. 21.

Auditus imminutus vel abolitus bini
omnino restitui potest methodis:

1) Causae occasionalis cognitae remo
tione. Quae si non apparet, vel si ea sub
lata nihilominus perdurat malum, tum

2) Vitium causa occasionali auditu
organis inductum, vel causa morbi pro
xima tolli debet.

§. 22

§. 22.

Vbicunque a caufis, quae fanguinem in auris vel capitis vafis accumulant, pendet auditus fegnities

1mo) Vafa impleta nimis depleri debent, tumque

2do) Vafis relaxatis, fi opus eft, robur priftinum reftitui.

Priori indicationi fatisfacit tota euacuantium ac deriuantium claffis, et inter haec imprimis fanguinis miffiones. A venaefectione itaque larga, in pede vel brachio inftituta; ac vbi neceffe eft faepius repetita, cura incipietur, quae fola quandoque morbo profligando fuffecit *u*). Surditates, quae febribus fuperueniunt, fanguinis e naribus profluuio interdum tolli, HIPPOCRATES *x*) et cl. STOLLE *y*) teftantur, Vbi a venaefectione, certo anni tem-

u) Ephem. Germ Dec. I. a. I. obf. 101.

x) Coac. n. 147. 195. 210.

y) Rat. med. t. 6. p. 16.

tempore inftitui folita, neglecta pendet obauditio, eodem tempore ac loco, quo ante, venam fecare conueniet. Plerumque interim V. S.nes quoque topicae in auxilium vocandae erunt, vti fcarificationes capitis z), hirudines, cucurbitae, auris regioni, vel fi a menfium, haemorrhoidum fluxu fuppreffo oritur furditas, perinaeo, offi facro etc. affixae. Vomitoria perinde, larga dofi propinata, purgantia fortia, ac iuftis ex interuallis repetita a), magnam hic faepe praeftarunt opem. Puella, quae poft lapfum e fcala in caput auditus ac loquelae amiferat vfum, excitata emefi copiofa, ortoque fimul fanguinis largo e vagina profluuio, inter haec, feptimo morbi anno furda mutaque effe defiit b). — Remedia denique, quae humores ab aure deriuant, vti mafticatoria, gargarifationes, e rebus ftimulantibus; mercurius, vfque ad

fali-

z) KRZOWITZ l. c. p. 105.

a) SCHVLZE diff. c.

b) cf. ill. RICHTERI chir. Bibl. 9. B. 3 St.

ſaliuationem modicam exhibitus *c*); vlcera artificialia *d*); ac ſimilia non mediocrem ſaepe in hac auditus imminuti ſpecie exſerent vim, eoque maiorem, quo magis diaetam ſimul tenuem ac deplentem ſub cura ſeruat aeger. Hac fere ſola viro, a ſumma totius corporis plethora ac ſuccorum abundantia grauiter audienti, breui auditum reſtituit F. HOFFMANN *e*).

His remediis rite ac ſatis diu adhibitis, vbi non redit auditus, vel reuerſus breui poſt iterum intercidit, vaſorum auris atoniam, qua fit, vt humores ab aure deriuati, quauis occaſione ſolita loca denuo petant, ſuſpicare licebit.

Hanc ſolam quandoque morbum alere poſſe, caſus ſupra allati *f*) confirmant. Fomentationes auris regionis, gargariſationes, iniectiones auri, frigidae, amiſſum forſan in eiusmodi caſu vaſis reſtituent robur.

c) KRZOWITZ p. 115-118.

d) Ibid. pag. 147-156.

e) Med. rat. ſyſt. T. 4. p. 4. c. 6. obſ. 4.

f) Vid. ſupra §. 2. n. 1.

§. 23.

Quae e caufis debilitantibus emanat auditus difficultas, vel virium languoris vniuerfi fymptoma eft, vel caufae aurem folam debilitantis fequela. In priore cafu diaeta roborans, cortex Peruuianus, martialia etc. adhibitis fimul, fi opus eft, excitantibus topicis *g*), auditum plerumque reftituent. Sic e febre acuta conualefcentes furdaftros fere omnes diaetae reficientis ope fanatos fuiffe STOERCKIVS *h*) refert. In pofteriore cafu roborantia topica, vti iniectiones auri, gargarifationes irritantes, rubefacientia auris regioni adplicata, litus ftimulantes in auris vicinia infricati, fimiliaque conuenient, fublata ante, vbi neceffarium videtur, vaforum auris nimia impletione.

§. 24.

Quodfi partis, nexu confenfuali cum aure iunctae laefio, aliquam auditui infert no-

g) Vid. §. 42.

h) Ann. med. 1. Iul. p. 7.

noxam, medelae modo haec primum remouenda eſt, laeſionis indoli variae reſpondente.

Vbi in abdomine ſurditatis cauſa latet, vel ſolae colluuiei primarum viarum tribuenda eſt, vel acrimoniis, quae abdominis viſceribus firmius inhaerent, eaque obſtruunt. Prius ſi eueniat, emetica ac cathartica malo profligando ſaepius ſufficient. Vomitu ac deiectionibus bilioſis ſurditatem interdum ſolui, affirmat HIPPOCRATES *i*), id quod etiam cl. STORCHIO *k*) in grauida obſeruare contigit.

Poſterior vero ſtatus medicamina expoſcit, quae viſcerum infarctus ſoluunt, materiam obſtruentem ſenſim ad inteſtina determinant ac educunt, debilitatisque tandem viſceribus robur priſtinum reſtaurant.

Quae vulnera faciei quandoque inſequitur auditus laeſio, euitari poſſe videtur, ſi per

i) Aphor. Sect. 4. aph. 28. - Coac. n. 208. 210.

k) Obſ. clin. a. 6. p. 334.

per reunionem statim consanatur vulnus, vel saltem cicatricis amplae ac profundae genesis praepeditur. Morbum praesentem eadem forsan, qua coecitas eiusmodi vulnere causata, quandoque sublata fuit, medela tollet: vnguenti nempe emollientis in vulnus cicatrisatum infricatio valida, quae fortasse nerui laesi ac cicatrice distorti nimiam tensionem auferet. Similem frictioni effectum hic exseruisse videtur electricitas, qua aegro suo *l)* auditum feliciter restituit cl. LINDHULT. Inde si nil obtentum sit, a nerui laesi perscissione, vsque ad os facta, forsan aliquid exspectari poterit.

Vbi tumoris, extrauasati, aliusue vitii localis cerebri sequela est surditas, his, quatenus fieri licet, auxiliis chirurgicis occurrendum est.

Auditus difficultatis, a materiae alicuius morbosae ad aurem metastasi causatae, cura, acrimoniae auditus organis incumbentis ab aure auocationem primo loco requirit,

l) l. c. ad §. 7.

rit, pro acrimoniae varia indole, vario modo adminiſtrandam.

Cauſarum denique vltimae claſſis, quae nempe partium auris fabricam immediate violant, tractatio, ſub laeſionum, quas auditus organis inducunt, curatione, in ſequentibus enarretur.

§. 25.

Interdum cauſa occaſionalis vel prorſus incognita manet, vel ea licet remota auditus difficultas perdurat. In vtroque caſu vnica reſtitutionis ſpes in laeſionum auris organis inductarum medela conſiſtit, ad diverſam vitii, quo labefactatur auditus, indolem adaptanda.

§. 26.

Quando auriculae externae defectus aliquam auditui inducat noxam, auricula e conglutinata papyro, vel corio confecta ac in deperditae locum annexa, ſuadente Dolaeo *m*), vel tubae acuſticae, a cl. De-

m) Encyclop. chir. rat. L. 1. c. 14. §. 19.

Deckero descriptae *n*), vsus huius partis iacturam quodammodo supplebit.

§. 27.

Meatus auditorii obstructio, ad materiae obstruentis naturam diuersam, variis tollitur adminiculis.

Quodsi primae conformationis vitio, vlcere praegresso, carne hic canalis occlusus est, operatione chirurgica *o*) sola resecari poterit. Aegri itaque capite suffulto, aureque luci obuersa, cum cultello paruo acuto, in locum orificii meatus auditorii, sufficientis magnitudinis incisio fiat, quae dein minutis sectionibus tam diu dilatetur, donec massa prorsus dissecta est, vel carne altius descendente, myringis laedendae periculum oritur. Turunda nunc, cuius crassities in primis diebus sensim augetur, vulneri inditur, vsque ad labiorum eius cicatrisationem ibi seruanda, ita tamen vt puris

n) Vid. §. 30. in fine.

o) Cf. ill. Bell. Lehrbegr. der Wundarzney-Kunst. 3. B. p. 96.

puris ac fordium eluendarum gratia quotidie eximetur. Optime instituitur operatio, quando loqui incipit infans; prius enim eae sustinendae impar esset, ac serius loquelae vsum nimis sero condisceret. Similis operatio tum quoque locum habet, quando membrana praeternaturalis pori cavum occludit. Hac nempe cruciatim incisa, turunda vulneri inditur, ac donec eius labia occaluerint, ibi seruatur. Carne interim, vel membrana myringi ita contigua, vt eius laedendae metus oriatur, securius erit ab operatione hac abstinere.

Polypi, meatus auditorii cauum implentes, si eius tantum orificio insident, cultelli aut forficis ope commode abscinduntur. Quod vbi ob radicis polypi situm, myringi vicinum, fieri nequit, vel deligandi sunt, vel, si ad polypi radicem immitti nequit filum, forcipe euellendi. Excrescentiae carnosae, fungosae, si meatus orificium tantum obsedunt ferro candente, vel causticis destrui possunt. Quodsi vero

horum

horum vſum myringis laedendae periculum impediat, monente cl. BELL *p*), turundis, quarum ſequens quaeque aliquantum craſſior ſit praecedenti, poro inſertis, (veluti in vrethrae coarctatione fit) eius cauum ſenſim dilatandum eſt.

Glandularum meatus auditorii, parotidum intumeſcentia vbi eius cauum occluditur, tumore per apta remedia diſcuſſo, hoc iterum reſeretur. Squammulae in diuturna lue Gallica affectis porum acuſticum quandoque obſtruentes, auriſcalpio ex eo eximi vel iniectione elui poſſunt.

§. 28.

Quando corpore peregrino aliquo canalis obſtruitur, omnis cura in cita heterogenei exemtione verſatur, in cauo interim tam flexuoſo, ac prorſus fere indilatabili, ſaepe difficillima.

Quando corpus peregrinum ita porum claudit, vt interſtitium adhuc aliquod inter ſe ac meatus auditorii parietes admittat,

p) l. c.

tat, duplici via ex aure eliminari poteſt: Nempe

1 mo) Inſtrumentis, vel pone corpus, vel ad eius latera applicatis, quorum ope id eliditur, ceu protrahitur. Priorem in finem adhiberi poteſt cochlear auriculare, quod commendat HILDANVS *q*), et cui ſimile inſtrumentum cl. BELL ad piſa aliaue rotunda corpora eximenda delineauit *r*). HAMVLVS quoque paullulum incuruatus CELSI *s*) vel tenaculum HEISTERI *t*) idem praeſtabunt. — Corpori protrahendo inſeruit volſella parua, qualem cl. BELL *u*) deſcribit, qua corpus prehenſum facili negotio educitur.

2 do) Iniectione ſiphonis ope in meatum facta. Huius ope minoris voluminis cor-

q) l. c. ad §. 11. II. 3.

r) l. c.

s) L. 6. cap. 7. art. 7.

t) Chir. P. II. c. 63.

u) l. c.

corpora, vti grana, insecta, vermes etc., commode eluuntur. In insectis, vermibus eliminandis, eiusmodi eligatur fluidum, quod eos simul enecat. Viua enim canalis parietibus adhaerent, ac difficilius euocantur. Corporibus, quae firmius meatui inhaerent, educendis, minime apta videtur iniectio. Violentius enim instituta vel myringem laedet, vel in meatum altius intrudet massam, minus vero impetuose suscepta, heterogeneo excutiendo non sufficiet.

In eo casu, vbi meatum auditorium exacte implet corpus, nec memoratis methodis educi potest:

1mo) Massam frustatim eximere tentamus, emollitam ante iniectione emolliente vel si fragilis est, volsellae ope fractam aut cultello vaginato diuisam *x*). Haec vbi non admittit heterogenei indoles durior

2do) succussio auris, quam CELSVS *y*) sua

x) HEISTER l. c. - F. HOFFMANN diss. de aud. diff. §. 23.

y) loc. cit.

ıadet, eius egreſſum forſan efficiet. "Tabula inquit collocatur media, inhaerens capitibus vtrinque pendentibus, ſuperque eam homo deligatur in id latus verſus, cuius auris eo modo laborat, ſic vt extra tabulam non emineat: tum malleo caput tabulae quod a pedibus eſt, feritur, atque ita concuſſa aure, id quod ineſt excidit". Eodem ſcopo hic etiam adhiberi ɔſſunt

3º) Ptarmica. Myrinx enim ſub ſterıtationis niſu in porum acuſticum proılſa, heterogeneum, vel immediate, ſi yringi fuerit contiguum, vel aeris, intra rpus ac myringem incluſi, ope loco ouet ac foras eiicit. Bina eiusmodi exıpla adferunt F. HOFFMANN z) ac SCHELLıSS a). Olei blandi in meatum inſtilla-ı, interdum quoque membranae porum ıeſtientis ſcarificatio, (ſi nempe memanae tumor inflammatorius illapſi egreſ-

E 2 ſum

z) l. c. §. 8.

a) Diſſ. de aur. affect. p. 18.

ſum praepediat) exemtionem quandoq
valde leuabunt.

Quodſi memoratis hactenus auxiliis lo
moueri ac educi nequit illapſum, a ſupp
ratione ſola, quam corpus diutius in mea
retentum ciet, quaeque iniectionibus ap
promoueri poſſet, eius ſolutio exſpectan
eſſe videtur. Terebelli enim in eiusmo
caſu ab HILDANO *b*) laudati, vti et inciſi
nem pori acuſtici, ab AEGINETA *c*)
ALBVCASI *d*) propoſitam, tanquam inutil
et noxias operationes iure reiicit cl. KRZ
WITZ *e*).

Cerumen in meatu auditorio aggeſtu
eumque obſtruens, ſi liquidius eſt, cochle
ris ope ſtatim eximi poteſt. Induratu
vero ac petrificatum menſtruis idoneis pri
emolliri ac ſolui debet. Hoc ſcopo i
primis ſeſe commendat aqua communis

pi

b) loc. cit.

c) L. 6. c. 24.

d) Chir. tract. 2. c. 6.

e) l. c. p. 182. ſq.

ida, quam cl. HAYGARTH *f*) omnium ce-
uminis menſtruorum efficaciſſimum inue-
it, quaeque omnia ad cerumen ſoluendum
variis laudata remedia, vti aquas mine-
ales, ſolutiones ſaponaceas, ſalinas, ele-
tricitatem *g*), ſuperflua reddere videtur.

§. 29.

In meatus auditorii obſtructione im-
edicabili, vſus machinae, tremores ſono-
os maiori copia per tubas EUSTACHII in
ympani caueam inuehentis, canalis imper-
ii defectum quandoque ſupplere valet.
)ptime huic ſcopo inſeruit tuba acuſtica,
uius orificium anguſtius ori inſerit aeger,
mplius vero loquentis labiis, ceu corpori
onanti, applicat. Sic ſurdae meminit
ACHSIVS *gg*), quae cornu ori indito ro-
abat, vt collocuturi prominenti eius orifi-

 cio

f) Med. Bem. u. Unterſ. e Geſellſch. v. Aerzt. in Lond. 4. B. p. 168.

g) cf. §. 42. 9. d.

gg) Miſc. nat. cur. Vec. 1. ann. 1. obſ. 35. ſchol.

cio voces in os inſpirarent, vt quas ipſa ſic audiret.

§. 30.

Auditus e myringis labe laeſi reſtitutio, medelam expoſcit, ſtatui, quo contremiſcendo inepta euaſit, reſpondentem.

Vbi myringis nimis laxae apparent indicia: 1mo) Omnia remouenda ſunt, quae ad ſtatum hunc ſuſtinendum et augendum aliquid faciunt. Sic vbi nimia humiditate auris laborat, remediis aptis humorum affluxus ad aurem minuatur, auris ipſa magis exſiccetur, quem in finem moſchum, cum bombace auri inditum impenſe laudat FORESTVS *h*). Loca praeterea humida fugiat aeger, a potu nimio, calido imprimis abſtineat, ſoni validi impreſſiones, ſternutationem, tuſſin, riſum etc. euitet, ac voce ſubmiſſa in loquendo vtatur.

2do) Membranae flaccidae robur amiſſum reſtituendum eſt. Fumigationes auris vola-

h) Obſ. et cur. med. L. 12. obſ. 15.

volatiles *i*), liquores acuſtici aſtringentes ac irritantes *k*), auri inſtillatae, hoc imprimis praeſtabunt. — Myringis nimia rigiditas, ſi tumoris inflammatorii, excreſcentialis, membranam incraſſantis, oſſificationis, ſequela eſt, curam nullam admittere videtur. — Quando vero ſiccitate nimia contremiſcendo impar eſt, remedia quae membranam humectant ac ceruminis ſecretionem adaugent, vti olei blandi cuiusuis, lactis tepidae guttulae quaedam, auri ſaepius inſtillatae, ſaponis mollioris fruſtulum, auri aliquamdiu inditum, mixtela e galbano, oleo, et ſucco coepae, quam eadem ratione adhibere ſuadet cl. Bell *l*), forſan et electricitas, auditum ſaepius reſtituent. Cruſta puris, ceruminis, myringem obducens iniectiones requirit emollientes, quae materiam impactam fundunt ac ex aure eluunt.

 Simile

i) V. §. 42. 5.
k) Ibid. n. 6.
l) l. c.

Simile curationis genus et tum quandoque sufficiet, quando materiae sebaceae, neonatorum myringem obducentis, retentio, auditum vitiare videtur. Quo si nil obtentum sit, ab electricitate forsan, quae non ceruminis modo, quam efficit secretione adaucta *m*), sed myringis simul concussione, cuticulae separationem adiuuare posset, multum poterit exspectari. Eximia saltem huius remedii in surditate connata efficacia *n*) hoc probabile reddit.

Myringem vulneratam, vel quouis modo dissolutam naturae subinde consanari viribus, cl. VALSALVAE exempla probant. Quodsi interim non coaluerit vulnus, tuba acustica in caui sui parte membrana elastica instructa, qualem confecit cl. TRVCHET *o*), non myringis modo defectum sup-

m) Vid. §. 42. n. 9. d.

n) cf. cl. KÜHN Gesch. d. med. u. phys. Electricitaet 2. B. p. 146. sq.

o) Annal. Wratisl. Tent. 4. a. 1718. Apr. Cl. 5. art. 1. §. 2.

ſupplebit, ſed ſordium etiam ac aeris frigidioris in aurem ingreſſum impediet.

Similis inſtrumenti, vel tubae acuſticae a cl. DECKERO, NUCKIOque *p)* propoſitae, vſus, in auditus ſegnitie, a myringe vel nimis laxa, ceu rigida orta, non mediocre praeſtabit commodum. — Quodſi omnem contremiſcendi vim amiſit membrana, eiusmodi machinam, modo ſupra deſcripto *q)*, ori indat aeger.

§. 31.

Ex oſſiculorum acuſticorum vitiis, mala catenulae conformatio, ac diſſolutio artis auxilia reſpuunt. Catenulae immobilitas, a muſculorum acuſticorum paralyſi orta, medelam ſupra *r)* deſcriptam; quae vero a materiis in catenula induratis pendet, iniectiones in tympani caveam, requirit.

Vbi luxationis oſſiculorum, oſſificationis, anchyloſeos, articulationum catenulae,

 ali-

p) cf. HEISTERI chir. P. 2. c. 66.

q) Vid. §. 29.

r) Vid. §. 24.

aliqua oriatur ſuſpicio, eo forſan, cuius Rolfincius meminit, methodo mobilitas catenulae reſtitui poterit. "Luxatio„ inquit „horum oſſium, ſi accidat, auditui ea offi„cit, nec reſtitui poteſt, niſi ſpiritus reten„tione. Nempe retento anhelitu, per mea„tum ori et auri communem, aer con„cham ingreditur, ἀθρόως cum impetu con„fertim, et dilocata reponit„ *s*). Sequens etiam, quam HANNEMANUS *t*) deſcribit, in eiusmodi metu vtilis eſſe poſſet curatio. "Chirurgus„ ait "aliquos ſurdos curauit hac „methodo; alte inſerit fiſtulam tabaci, et „quidem eius partem ſubtiliorem, in auris „cauitatem; tunc vehementiſſima ſuctione „ori admouens alteram fiſtulae partem cras„ſiorem ſuxit: aegri hac ſuctione percepe„runt aliquid doloris in aure, aſt hac me„thodo curati ſunt, audiendique facultas „reſtituta eſt„.

§. 32.

s) Diſſ. anat. L. 2. c. 15.

t) Miſc. nat. cur. Dec. 2. a. 6. obſ. 123.

§. 32.

Surditas, quam tubae EUSTACHIANAE imperuiatio efficit, nec causa occasionali sublata cessat, canalis imperuii reseratione curatur, quam variis, pro obstructionis gradu leuiori vel maiori, ac materiae obstruenris diuersitate adsequimur adminiculis.

Quando muco concreto, crusta puris, aphthosa, aliaue id genus materia, tubae tantum orificium clauditur, canali reserando quandoque sufficient:

I) Faucium motus repetiti sub deglutitionis, vomituritionis, gargarisationis conatu, oscitatione, screatu etc.; quali conatu cum tubae pars anterior in motum agitatur, materiae laxius huic inhaerenti, loco mouendae saepius sufficiet. Apud DERHAMUM u) surdaster a catarrho, edito ad deglutiendum nixu, sub crepitus in aure

u) Cf. HALLERI elem. physiol. t. 5. L. 15. S. 3. §. 5.

aure percepti sensu, auditum recepit, similiaque exempla enarrat cl. SIMS x). Inde si nil profectum sit

II) Aeris in tubam acusticam violenta impulsio per exspirationem validam, ore naribusque clausis susceptam, materiam impactam loco forsan mouebit. Simplex hoc iamque a VALSALVA y) laudatum remedium, impense commendat cl. SIMS, idque omnibus ad tubam deobstruendam vsitatis auxiliis praeferendum censet. Vbi vnius modo lateris tuba obstructa est, sanam aurem cera obturare suadet, vt myringis in eadem aure laesio euitetur. Idem obtinetur, si gena laesae lateris, sub exspirationis nisu dentibus impressa, omnis aeris impetus in tubam obstructam auertitur z). Nisi primo statim nisu auditus redit, repetitis conatibus opus est. — Quando altius

x) l. c.

y) l. c. cap. 5. §. 8. p. 84.

z) Vid. cl. BELL Lehrbegrif der Wundarzn. a. d. E. 5. B. p. 355.

tius tubis Euſtachii inhaeret materia ac firmius iisdem impacta eſt, vt methodis dictis loco moveri nequeat, tum

III) Iniectiones in tubam Euſtachii inſtituendae ſunt, quae triplicem in modum adminiſtrantur.

1) Liquor per os ceu nares ſiphonis ope in tubam immittitur (cf. §. 33).

2) Fluidum ore exceptum, aeris vi in tubam impellitur (cf. §. 34.).

3) Liquidum per proceſſum maſtoideum reſeratum ac tympani caueam in tubam iniicitur (cf. §. 37).

§. 18.

Iniectionis per os adminiſtrandae, quam primus propoſuiſſe videtur Gvyot *a)* quamque in ſurdo feliciter adhibuiſſe teſtatur G.

ten

a) Mach. et invent. approuvées par l'acad. R. d. ſc. T. 4.

ten HAAF *b*), methodus hic eſt. Aegri lingua inſtrumento idoneo depreſſa, tubus argenteus, longitudine ac craſſitie ſondae vulgaris, cuius anterius extremum paulo incuruatum, poſterius vero ſyringi adnectendae idoneum eſt, ori inditur. Velo pendulo per exſpirationem validiorem nunc paulum eleuato, tubi pars inflexa poſtrorſum ac ſurſum, oblique verſus tubae obſtructae orificium ducitur. Quod vbi attigerit ac intrauerit, tubae extremum poſterius ſyringe, aqua tepida alioue liquore impleta iungitur, ac fluidum embolo leniter depreſſo in tubam iniicitur.

Attamen tubuli in tubam Euſtachii introductio difficillima, tum et ſternutatio in eius immiſſione vix euitabilis, plurimos ab hac operatione deterruerunt. Quare iam cl. PETIT *c*) ac DOVGLAS inſtrumentum per naſum

b) Samml. f. pr. Aerzte. 9. B. p. 438.

c) Annot. ad T. 2. PALFINI anat. chir. p. 472.

nasum tubae immittere proposuerunt, quem in finem instrumenta nonnulla breui post ab A. Cleland *d*) fuere inuenta. Sequenti vero modo instituitur haec iniectio. — Tubulus argenteus, supra descripto similis *e*), parte conuexa superiora vergens, per meatum nasi inferiorem, retrorsum ac paulo deorsum, nuspiam tamen offendendo, ducitur, donec ad tubae Eustachian. orificium ellipticum ac paulo prominens perueniat. Tunc inuertitur ita, vt conuexitas septum, concaua vero pars alam nasi spectet, et hac directione propulsus leniter, tubae facile illabetur. "Tubulum rite intrasse, notante cl.

d) Vid. Leske auserl. Abh. aus dem philos. Transact. 2. Th. n. 12. p. 29.

e) cl. Cleland vtebatur cannula cathedetiformi, flexili. Wathenius vero tubulo argenteo, quem pro varia narium conformatione plus minus vno fine inflectebat. Extremum alterum syringi annectendae idoneum fuit.

cl. Callisen *f*) "cognoſcimus ex di„rectione inſtrumenti, et ſi manubrium „non amplius libere moueri poteſt, ſenſu „ſimul ingrato ad aurem internam extenſo, „qui ab aegro percipitur." Tubulo nunc ſyringe iuncto, fluidum in tubam iniicitur, per os vel nares ſordibus inquinatum plerumque ſtatim refluens. Irritationis minuendae cauſa cl. Callisen *g*) crines in parte anteriore naſi obuios praecidere ſuadet. Niſi ad primam ſtatim iniectionem auditus redeat, ſaepius iteranda eſt operatio.

Interea et huic methodo, a cl. Wathenio in ſex ſurdis *h*), ac a chirurgo Dresdensi *i*) in multis feliciter adhibito, ſequentia imprimis a variis opponuntur argumenta. Namque

1mo

f) Vid. eiusd. principia ſyſtem. chir. hod. P. 2. n. CCCXLI. p. 222.

g) l. c.

h) Cf. cl. Leske l. c. p. 157. ſqq.

i) Ibid. pag. 271.

morum auris secretione promouenda facultatem multae confirmant obseruationes; plurimum exspectandum esse videtur.

Nerui auditorii compressio, a tumore ceu extrauasato, cerebrum vel labyrinthi cavum occupante, orta, artis auxilia respuit; quae vero a vasorum nimia impletione pendet, horum depletione saepius tolli poterit.

§. 42.

Vbi languoris ac atoniae nerui auditorii apparent indicia, remedia indicata sunt, quae languentes neruos excitare, vis nerueae actionem restituere valent.

Potiora ex horum classe in auditus difficultate sananda reperta sunt haecce:

1) Tartarus emeticus, parca dosi ad nauseam vsque exhibitus, ita tamen, vt interdum larga vomitumque ciens interponatur dosis *k*).

2) Fragrantia quaedam, vti moschus *l*), castoreum *m*), ambra *n*), zibethum *o*), cum

k) Vid. SCMUCKERS v. ch. Schr. 2. B.
l) cf. FORESTUM l. c.
m) cf. cl. KRZOWITZ. p. 134.
n) Ibid. p. 132. *o*) Ibid.

cum interne ſumta, tum auri cum bombace intruſa.

3) Sulphuris viui, ſuccini etc., accenſi vapor, per infundibulum auribus immiſſus *p*).

4) Aromata vegetabilia fere omnia, vti caryophylli, thymus, maiorana, ſemina cumini, foeniculi etc.; quae hic vel integra maſticari *q*), vel ſacculis incluſa, aut pani impiſta *r*), auri imponi, vel quorum ſuffitu aures luſtrari *s*) poſſunt. Infuſo roris mariani, lauendulae, ac corticis ſalicis, per proceſſum maſtoideum in tympani caueam iniecto, eiusmodi ſurditatem perfecte curauit cl. FIELITZ *t*).

5) Alcalina volatilia, vti ſal c. c., ſpiritus ſal. ammon., ſimplex et compoſitus etc., tam interne quam imprimis externe adhibita. Puero, e capitis vulnere ſurdo, fumigatione auris volatili, e ſale ammoniac. cum ſale tartari parata, auditum reſtitui vidit cl. MICHAELIS *u*). — Perinde

6) Li-

p) Ibid. p. 125. *q*) RIVINUS diſſ. cit. §. 39.
r) KRZOWITZ p. 128. *s*) Ibid. p. 131.
t) cf. ill. RICHTER ch. B. 9. B. 3. St.
u) Ibid. 5. B. 1. St.

6) Liquores acuſtici varii, e praecedentibus ac fluidis ſpirituoſis parati, a veteribus imprimis practicis cum ſucceſſu ſaepius in vſum vocabantur, vti aqua Anhaltina *x)*, aqua acuſtica *y)* ſpiritus acuſticus Mynſichti *z)*, balſamum vitae Hoffmanni *a*) etc. Paucas eiuſmodi liquoris guttulas tepide auri inſtillare, vel cum bombace immittere conueniet, aure prius probe expurgata. Liquor per horas aliquot ceu noctem vnam ſub decubitu in aurem ſanam, ibi retineatur. — Sic etiam

7) Irritantia acriora, vti cantharides *b*), veratrum album, euphorbium, colocynthides, etc. forma pultis *c*), turundae *d*), ceu eſſentiae acuſticae *e*) auri indita, a nonnullis commendantur. Emplaſtrum can-

G 2 thari-

x) Vid. THONERI obſ. med. L. 2. p. 117. ſqq.
y) Diſpenſ. Vienn. f. 8.
z) Armam. med. chym. ſect. 18. p. 278.
a) SCHULZE diſſ. cit.
b) KRZOWITZ l. c. p. 148.
c) A. TRALLIANI Paraphr. L. I. c. 33.
d) H. CAPIVACCII med. pr. L. 1. c. 50.
e) ETTMüLLER opp. T. 2. P. 1. p. 737.

tharidum; emplastrum de VIGO *f*); ceratum de betonica; gummi Tacamahace, ac oleo maioranae *g*); occipiti raso, ceruici, vel auris regioni admotum; balsamum lavendulae *h*), vitae Hoffmanni *i*); auris regioni illita, insignem saepius in hac auditus difficultatis specie praestarunt vim. Haud minoris perinde efficaciae in nerui auditorii torpore tollendo interdum reperitur

8) Soni validi perceptio. Euenit non raro, vti surdis sub campanarum *k*), tympanorum *l*) sonitu, venti acrius flantis *m*), rhedae per plateas velociter vectae *n*), strepitu etc., auditus eo momento ita redeat, vt vel minimos sonos, imo mussitantium verba tum percipiant. Plerumque quidem strepitu cessante, auditus quoque pariter rursus interit, quandoque tamen perstantem audi-

f) cf. HOLLERIUM in Gal. de comp. med. p. 71.
g) HOECHSTETTER obs. med. dec. 9. cas. 4.
h) RIEDLINI lin. med. a. 5. p. 159.
i) SCHULZE diss. de inexp. med. effectu §. 16.
k) T. WILLISII de anim. brut. c. 14. §. 13. p. 99.
l) Ibid. *m*) Act. Hafn. Vol. 5. obs. 77.
n) KRZOWITZ p. 206.

auditus reſtitutionem efficit eiusmodi fragor. Sic binis iuuenibus, ab ortu ſurdis mutisque ſub tonitruum grauiſſimo fragore ſubito audiendi ſenſus rediit *o*). Simili modo amauroticis viſum quandoque reſtituit lucis validae impreſſio *p*).

9) Irritamenta mechanica, quo imprimis pertinent

a) Embrocationes ad verticem, quorum egregiam in ſurditate ſananda vim cl. FALLOPIUS *q*), et G. HORSTIUS *r*) in ſibimet ipſis experti ſunt. Viro, cui poſt inſultum apoplecticum plenaria remanſerat ſurditas, huius remedii ope ſola auditum reſtituit cl. IASSER *s*).

b) Motus corporis ſuccuſſiui. Vir grauiter audiens frequenter in altum ſubſiliendo a morbo ſeſe vindicauit *t*). Alius, per XL iam annos cophoſi aphoniaque multatus, dum

o) Annal. Wratisl. tent. 5. a. 1718. p. 1541.
p) Cf. ill. RICHTER Anfangsgr. der W. K. 3. B. §. 457.
q) Tract. d. med. aq. c. 26.
r) Epiſt. med. L. 2. S. 18.
s) cf. cl. SCHMUCKER l. c.
t) Act. med. Hafn. v. 5. obſ. 126.

dum vice quadam terram foderet, medio in labore auditum ſubito recepit *u*). Similem totius organi commotionem efficere valent

c) Errhina, quae in ſurditatis curatione cum aliis remediis vtiliter ſaepe coniunxit cl. RULANDUS *x*). Sternutationi forti, ſponte obortae pertinaciſſima interdum ceſſit cophoſis *y*). — Omnium interim id genus excitantium efficaciſſimum ſeſe exhibuit

d) Electricitas, cuius adhibendae methodi ſequentes imprimis ſunt: 1mo) Materia electrica ope acus ligneae, auri laeſae applicatae, ex aure deriuatur. Aegro inſulato materia, per catenam vel filum metallicum conductori iunctum antea aduehitur. 2do) Scintillae ex aure proliciuntur. 3) Ictus electrici auri laeſae applicantur. — Electricitatis, auri adplicatae, cuius eximiam in ſurditate ſananda vim numeroſae teſtantur obſeruationes, primus effectus in partium auris mollium intumeſcentia inflammatoria leui conſiſtit, obauditionem in primis ſaltem die-

u) St. v. d. Wiel. obſ. rar. med. ct. 2. obſ. 5.
x) Cur. empyr. cent. 8. cur. 55.
y) cf. cl. KRZOWITZ p. 157. ſeqq.

diebus plerumque adaugente. Huic post aliquot dies succedit ceruminis fluidioris ac verosimillime etiam humorum auris internae secretio largior, sub qua tumor sensim decrescit, nec raro audiendi facultas pariter redit z).

§. 43.

Quando denique neruus auditorius irritabilitate nimia muneri suo defungendo impar reddi videtur, medicamina conuenient, quae neruorum irregulares motus sopiunt, eosque erga stimulorum impressiones obtundunt, tam interna quam topica. Hyoscyamus albus, cicuta a), opiata ac similia hic imprimis indicata esse videntur, quorum efficacia eo maior erit, si sedantium externorum applicatio eorum vsui simul iungitur. Liquores acustici antispasmodici, oleosi, vti aqua thericalis b), oleum acusticum ambratum c), Ol. acust. Mercati d), oleum amygdalarum ama-

z) Efficaciae huius remedii complura exempla vid. apud. cl. KÜHN l. c.

a) KRZOWITZ p. 122. sqq.

b) I. ZECHIAS consf. med. 23.

c) Dispens. Vienn. f. 130.

d) Tom. 3. de int. morb. cur. L. 1. c. 24.

amararum *e*), ol. ovorum *f*), fabarum ad mollitiem coctarum vapor, vel farinae carbonibus iniectae fumus g), auri immissa, in eiusmodi nerui auditorii statu praecipue sese commendant. A butyro maiali insulso, vertici ac temporibus quotidie infricato, surdus octogenario maior integrum recepit auditum.

d) V. RIEDLINI cur. med. n. 856.
e) Act. nat. cur. Vol. 1. obs. 40.
f) KRZOWITZ l. c. p. 129. sqq.
g) Cf. Misc. n. c. Dec. 3. a. 5. obs. 146.

THESES.

I. Constrictio annuli abdominalis sola quandoque herniam inguinalem incarcerat.

II. Orificium vteri rotundum certum grauiditatis signum non praebet.

III. Liquor amnii foetus nutritioni non inseruit.

IV. Purpuram subinde morbum primarium esse contendo.

V. Error in diagnosi inter febrem biliosam ac enteritidem facillime nec sine summo aegri discrimine committitur.

VI. Opiata in febrium intermittentium cura circumspectum requirunt vsum.

VII. Gangraena lienis pecudum insectis non tribuenda esse videtur.

VIII. Asseruatio funerum in propriis aedificiis sepulturae praematurae ac nimis serae pericula optime aufert.